

Le texte qui a servi de base à cette édition est celui des *Poemata omnia*, publié à Amsterdam, en 1639, chez Johannes Ravesteynium.

FARRAGINIS LIBER I

PAULO CHOARTO BUZANVALLIO.

F1_01 v.1 Si superest patriae nostraeque tuaeque vacanti,
 2 dicere quod possis, magne Choarte, tuum,
 3 temporis illius fas sit mihi sumere partem,
 4 audacem bonitas quem tua nota facit.
 5 Quamquam sollicitant sapientes undique chartae,
 6 exactoque subit digna labore quies,
 7 Non minus et tua sunt aliorum seria rebus
 8 otia, descendas ad mea dona, precor.
 9 Quod reliquo reliquum est, hoc da mihi : lude legendo,
 10 inspice : iudicii res erit ista loco :
 11 nec metuam, ne quis nimium mea carmina damnet ;
 12 si modo sunt oculos promeritura tuos.
 13 Ipsa tibi credet, cui se suaque omnia credit
 14 Gallia, plus nugas quam nihil esse meas.
 15 Altior ille hominum vitiis liberque Thuani
 16 spiritus, et nullo qui fuit ante minor,
 17 mensque Casauboni Totum complexa, videbunt
 18 cum venia versus te praeunte meos.
 19 Dic tamen his, oro, tantum rudis orsa juventae,
 20 et vix ingenio pubere nata dari.
 21 Nec tamen hos ipsos Musis sacravimus annos,
 22 aut adeo his studiis terra Batava favet :
 23 abreptos alias nos impetus egit in artes,
 24 cum quibus Aonio foedera nulla choro.
 25 Accessere graves curae justique dolores,
 26 queis subigi robur posse virile putem.
 27 Arma inter patriae pelagusque et frigora natum,
 28 et quem fata solo deteriora premunt,
 29 hunc si quis fieri credit potuisse poetam,
 30 saltem non durus carmina nostra leget.

COMASTES. EX THEOCRITO, VERSUS VERSUI REDDITUS.

F1_02 v.1 Ibo meam visens Amaryllida, monte capellae,
 2 monte vagae pascunt, et agit mihi Tityrus illas.
 3 Tityre, quo nullus potior mihi, pasce capellas,
 4 et potum pastas age, Tityre, et inter agendum
 5 occursare capro, cornu ferit ille, caveto.
 6 O Amarylli decens, quin hoc, ut nuper, ad antrum
 7 me transversa tueris amatoremque salutas ?
 8 An tibi nunc simus videor, promissaque longum
 9 est odio tibi barba ? Mori me denique coges.
 10 Aurea mala decem tibi nunc, qua carpta volebas
 11 arbore, carpta fero : cras altera rursus habebis,
 12 cerne quibus macerer maeroribus : o mihi tantum
 13 si fit apem fieri, atque tuum penetrare sub antrum.
 14 Per filicemque, hederamque, quibus redimita refulges !
 15 Nunc scio quid sit amor ; gravis est Deus : ille leaenae
 16 uberibus nemorum propter querceta pependit ;
 17 qui mihi nunc imis flagrans procul ossibus haeret.
 18 Nigra superciliis, gratum quae Nympha tueris,
 19 tota lapis, circum me plectere, ut oscula sumas.
 20 Oscula vana quidem, sed in his quoque multa voluptas.
 21 Carpere me facies in centum frustra corollam :
 22 hanc Amarylli tibi servo, namque ipse plicavi.
 23 Errantes hederas, apique frequentis odorem.
 24 Hei mihi quanta miser patior mala ! Tu nihil audis ?
 25 Ibo tamen, saliamque istas, sine veste, sub undas.
 26 Olpis ubi longa piscatur arundine thymnos ;
 27 et si non moriar, at te mala nostra juvabunt.
 28 Nuper enim, memini, signis rimabar amorem,
 29 infelix folium strepitus non edidit ullos,
 30 sponte sed in teneris positum mihi marcuit ulnis.
 31 Sed nec anus cribro me vaticinata fefellit,
 32 cum legeret spicas, et diceret, omnis in illam
 33 perditus incumbis, quae te fastidit amantem.
 34 At tibi cum geminis servatur capra capellis,
 35 quas sibi fusca dati Memnonis Erithacis orat :
 36 et dabo : nam ludos faciunt tibi munera nostra.
 37 En mihi nunc oculus dexter salit ; an precor illam
 38 aspiciam ? Cantabo jacens sub tegmine pinus ;
 39 fors erit, ut videat quoque me : nam ferrea non est.
 40 Hippomenes fulvis rapidam Schoeneida pomis
 41 dittulit, et cursu celer institit ; at bona virgo
 42 it videt, ut perit, ut totam gravis occupat ardor !
 43 Egit et ipse boves Amythaone natus ab Othry
 44 in Pylon : at jacuit carum complexa Biantem
 45 pulchra futura parens laudabilis Alphisiboeae.
 46 Et formosus oves propter juga pavit Adonis,
 47 quo succensa Venus traxit per membra furorem,
 48 mortuus a teneris nec secubat ille papillis.
 49 Felix Iasion, felix sopor Endymionis.
 50 His equidem invideo, si vera, puella, fatebor :
 51 nam bona tanta dari credant qui posse profani ?
 52 Jam doleo caput : at nihil hoc tibi ; carmina sistam :

53 hic nunc exanimis collabar, et esca luporum ;
 54 dulcius hoc omni credo tibi melle futurum.

ITER CURRUS VELIFERI.

F1_03 v.1 Mira canam, sed visa mihi, sed cognita multis,
 2 et nisi visa mihi non habitura fidem.
 3 Quod patet occiduas Batavae telluris in oras
 4 est latus, et Lateris pars ea nomen habet :
 5 nos a caeruleis ubi dividit unda Britannis,
 6 et praetexta maris fluctibus arva jacent.
 7 Hic pater Oceanus sitientes lambit arenas,
 8 jamque vagas laxat, jamque coercet aquas.
 9 Ipse sibi posuit fines Neptunus, et intra
 10 aggeris agnati moenia saevit hiems.
 11 Proxima sunt Hagrae Sceverinia littora nostrae,
 12 aequoreis dives piscibus ille locus.
 13 Hinc si Pettemum, Zypaeque novalia pergas
 14 quaerere, bis septem millia pandet iter ;
 15 millia quae totidem vix Iphiclus ambulet horis,
 16 aut Ladas celeri notus ab arte pedum.
 17 Haec Curru volitanda fuit via : sedimus omnes ;
 18 ante oculos caelum, littora, pontus erant.
 19 Ut suspensa suis tumuerunt carbasa ventis,
 20 ut Pharus, ut naves, ut Sceverina perit.
 21 Et velut indignans, quod non sua pondera vectet,
 22 nescio quo strepitu murmuris aura sonat.
 23 Non aliter mugire solet, cum mittimur arcu
 24 Gnossia Sauromatae torta sagitta manu :
 25 aut cum Nassovius Rheni bellator ad undas
 26 fulminat, et ferrum sulphuris aestus agit.
 27 At simul avecti primas superavimus iras
 28 flaminis, et certa coepimus ire via,
 29 aequoreos inter fremitus, ventosque relictos
 30 sensimus in rapidis frigora nulla rotis.
 31 Amissos tepidi frustra quaesivimus austros,
 32 vela noti celeres non potuere sequi.
 33 Talis erat, quocumque cito raperemur ab axe,
 34 qualis in aestivo langueat aura jugo.
 35 Orbita vix umbram simulat, nisi littore molli
 36 si quando celerem tardat arena fugam.
 37 Tunc et pulvereae nubes, Venerisque creatrix
 38 spuma procellosis imbris ora ferit.
 39 Tunc pluit et conchas et mistum littore pontum ;
 40 proximus est Libycis Syrtibus ille labos.
 41 Prisca vetus servat Cattorum nomina pagus,
 42 indicio referens posteritatis avos.
 43 Huc nemore Hercynio missos venisse colonos
 44 discimus ; hinc Batavi gens animosa sumus.
 45 Hic Caji turris fuit, hic exstructa Severo
 46 horrea : nunc ingens omnia pontus habet.
 47 Quid lapides periisse querar, periistis et amnes,
 48 ostia nec Rheni cernimus esse super.
 49 Navigat hac Currus, qua naves ante solebant,

50 continuatque pari tramite littus iter.
 51 Hinc ad Nordovicum fines, et Dousica regna
 52 pergimus. O magni patria vatis ave.
 53 Respicere a tergo Santfordica templa volebam :
 54 dum moror, a tergo jam mihi Vicus erat.
 55 Egmundae cineres, quibus incunabula debet
 56 relligio, et magnis regibus orta domus :
 57 vos quoque praeteriit votis velocibus arbor :
 58 credibile est ipsos obstupuisse Deos.
 59 Sic celer avectas quantumlibet ante carinas
 60 currus, et aequoreas effugiebat aves.
 61 Credimus exemplo tumidi latrare Pelori
 62 monstra : canes Batavum non minus aequor habet.
 63 Quae Siculo Scylla est, nobis Honsbusca vocatur :
 64 nomen naufragiis nobile nauta timet.
 65 Hic formidatum Silvae spumantis in auras
 66 it caput : aequoreis illa resistit aquis.
 67 Terrarum damnis Nereus alimenta profundi
 68 quaerit, ut in nostra luxurietur humo,
 69 non alibi Batavos propiora pericula tangunt :
 70 pro nullo facimus tam pia vota loco.
 71 Structa manu moles tumidas nisi frangeret undas,
 72 quod Pyrrhae fuerat tempore, terra foret.
 73 Nunc quoque cum saxis, et quercubus unda dometur,
 74 prostratae quercus, ipsaque saxa jacent.
 75 Sed nemus usque recens surgit, redivivaque rupes :
 76 semper in his rauci gurgitis ira perit.
 77 Sistimur hic : rupitque viam transversus ab undis,
 78 qui Pettema secatur littora montis obex.
 79 Littora Baiano quae nil cessura Lucrino,
 80 hoc unum debent Silva Canina tibi.

ODE IN FILIUM CASPARIS EUSEMII. AD AVUM JANUM DOUSAM.

F1_04 v.1 Donate magnis parve parentibus
 2 puer futuri gloria saeculi,
 3 seu Nienordo dignus haeres
 4 et patriis imitantur actis.
 5 Castris petendae natus adorea
 6 paras Ibero funera, et ultimas
 7 Gades et Hispanum furorem
 8 pectore adhuc tenero lacessis :
 9 te vagientem littore in ultimo
 10 Vesper tremiscet, te Tagus aurifer :
 11 annosque crescentis juventae
 12 Hesperiae numerare matres
 13 discent paventes. Quantus adest equis
 14 virisque sudor, cum celeres fuga
 15 cervos, et acrem fessus aprum
 16 praecipiti superare cursu,
 17 vires et aevi robora fortior
 18 vertes in hostem. Sive Helicon placet
 19 Phoebeus, et regnata Dousae
 20 Pierii juga sacra montis,

21 i perge felix. Non alium sibi
 22 praeponet olim Pindarus et Maro,
 23 magnoque mens vicina caelo
 24 Maeonidae, facilisque Naso ;
 25 cedet jocosi Musa Propertii,
 26 cedet Tibulli ; non tibi Bilbilis
 27 certabit, aut Verona docti
 28 efferet ingenium Catulli,
 29 si docta paucis carmina versibus
 30 amabis apto claudere cum joco.
 31 Sin te sibi quondam dicabit
 32 Romulei nova laus theatri,
 33 Plauti sepultos e Stygio sales
 34 regno reduces, et pede compari
 35 implebis aut soccum Terenti,
 36 nobilis aut Senecae cothurnum.
 37 Te Dousa, nostrae gesta Bataviae,
 38 numquamque visi carmen avunculi,
 39 suosque balbutire fastos
 40 audiat ipse senex nepotem.

TRAGOEDIA HEINSII.

F1_05 v.1 Quis ille tanto pulpitem motu quatit,
 2 et insolenti tundit orchestram pede ?
 3 Quamquam furentem motibus fallax tegit
 4 persona vultum, faexque detonantia
 5 furatur ora, non lates Heinsi tamen :
 6 te certus index prodis. Augustum jubar
 7 dispellit atrae nubilum caliginis :
 8 centumque noctes luce perrumpit sua.
 9 At nos parentis vana terrae pondera
 10 frustra tenebris in dies victricibus
 11 luctamur : omnes ludit incassum labor ;
 12 ut ille parvus ales abreptum fuga,
 13 et navigantem vasta inanis aequora
 14 sequi parentem sperat, et pennas quatit,
 15 aurasque plausu captat, affectans iter,
 16 strepitque : tandem pronus in nidum cadit.
 17 Tu Daedaleis ocior volatibus
 18 poeta caeli scindis alatus vias,
 19 plebemque, et ipsos plebis obtutus procul
 20 post te relinquis. Jam Sophoclen praeteris,
 21 Euripidenque fultus ala remige :
 22 seque auctor olim triplicis Promethei
 23 victum fatetur, quique Cassandram dedit
 24 caeco furentem carminum volumine.
 25 Nec hos, nec omnes ceteros Ionici
 26 fastus theatri, longa quos nobis dies
 27 invidit, aevique impotens injuria,
 28 procul tueri terga sectantes tua
 29 contentus, ultra tendis et caelo natas
 30 sublimiori, deque summo vertice
 31 priscum Latinae despicias scenae decus ;

32 choragiumque praeter Annaei volas.
 33 O Cygne Flander, me simul tecum rape
 34 per candicantis caerulas aethrae vias.
 35 Ignava quamquam torpidum moles premit,
 36 et surgere ultro pondere obsessum vetat,
 37 tua levatus quolibet dextra sequar,
 38 supraque nubes ibo, quas crassus vapor
 39 in nos adurget. Deligam spectaculo
 40 propinquiores siderum metae foros,
 41 ubi serena semper, et purus dies.
 42 Hic prisca cernam provocantem saecula
 43 prodire nostri temporis Tragoediam :
 44 non hanc Iepthae quae triumphales manus
 45 caede immerentis inquinavit filiae,
 46 regisve mensis ora Baptistae dedit,
 47 sed Heinsianam, nata quae sero licet,
 48 retro tot annos laude praevertit nova.
 49 Judex sedebit Dousa, judex Scaliger,
 50 haeres paterno destinatus muneri.
 51 Heroa nostris hunc, et hunc felix Deus
 52 servavit annis, justa ne saeclo rudi
 53 nostris deessent vatibus praeconia.
 54 Vox una binis : victa Gandae Corduba.
 55 Applaudit omnis maximi circi chorus.
 56 Formae micantem celsioris lumine
 57 miratur ire magnus Alcides ducem,
 58 Arausioque cedit, at nulli prius,
 59 doletque rursus regis Hispani scelus.
 60 Incedit alto parte ab Eoa poli
 61 princeps cothurno : nam tremit Vesper gradum,
 62 et sentit hostem. Numquid Atride pudet ?
 63 Bis quinque Troja messibus constat tibi,
 64 huic unus annus plus decem Troiis dedit.
 65 Hoc par, scelesta fraude quod victor cadis,
 66 vidit Mycena per scelus caesum ducem,
 67 videre Delphi. Patria, o quanto makes
 68 cruore ! Non hoc eluat Rhenus nefas,
 69 non Mosa vasto pronus incumbens mari.
 70 Non qui propinquus menstruo motu tumens
 71 Neptunus agris parcit Hollandis pater,
 72 seseque arenis arcet, atque hostes salo.
 73 Cerno Loisae syrma. Talis Hectoris
 74 conjunx, parensque, talis Alcmene fuit,
 75 Amphytrionis uxor, et nurus prior.
 76 Oeneis autem casta sanctae conjugis
 77 veretur ora, tollere et vultum simul
 78 formidat, omnis quae sui sexus cohors
 79 transgressa leges : Noxium Aeetae genus,
 80 Ledaeque proles, et noverca Virbii,
 81 materque Orestis, et viri mater sui,
 82 et ipsa Juno. Stirpis antiquae decus
 83 materna parvum ducit Henricum manus.
 84 Alludit illi magnus Argivum metus
 85 futurus Hector, fata si vitam darent.
 86 Alludit Hyllus, et coronati patris
 87 Phocaea proles. Jam puer Philisthenes,

88 jam meta Trojae Pyrrhus exspectat parem,
 89 Paeantiusque dira Cocyti vada,
 90 et aestuantes igne permixto lacus
 91 Hispana Erinnys linquit, humanus sitim
 92 cui sedat unus sanguis : hoc illi merum est,
 93 haec pocla monstro, cerno pro taedis rogos,
 94 cerno secures. Ipsa ad aspectum soror
 95 horret Megaera : defluit flagrum manu,
 96 fugitque tortis anguis implexus comis.
 97 At ille magni parricida Principis
 98 pone hic scelestum perfidus volvit gradum.
 99 Fuit Thyestes impia factus dape
 100 natis sepulcrum. Segregem Theseus nova
 101 castum per agros filium sparsit nece :
 102 patrem cecidit, mixtus est matri Oedipus ;
 103 sed inscientes : primus hic sibi placet,
 104 gaudetque quanto nullus erravit malo.
 105 Quicumque famae punctus antiquae nota
 106 crudelis audis, patruus, frater, parens,
 107 Aegisthe, quique semper arentes aquas,
 108 semperque captas arboris foetae fugas,
 109 gaudete : vestra majus absolvit scelus.
 110 Inventus hic est, cujus unus patriam
 111 trajecit ictus : quis, dii, tantum nefas
 112 ausus jubere ? Non Lycus, neuter Creon,
 113 non hoc Ulysses, saevus in parvos quoque
 114 et in puellas : ipse nec fluxa fide
 115 amans Iason, aurei sed velleris
 116 possessor alter. Ecquis immite hoc sacrum
 117 aut caecus augur aut ferox Calchas docet ?
 118 Videsne ? Pulchram rasa Libertas comam,
 119 et pileata turpe proculcat jugum ;
 120 sed pectus eheu saucium, vulnus gerit,
 121 quod ante Princeps : patriae raptum patrem
 122 seseque luget. Ora commendat dolor,
 123 decetque luctus. Eurytum sic filia
 124 cum lacrimaret, et parentales rogos,
 125 sibi que lapsum patrii regni decus ;
 126 sic cum doleret vera se quondam nimis
 127 cantasse Phoebas, staret et jam Pergami
 128 supra ruinas, et cadaver regium
 129 sub his sepultum, Troico flagrans rogo ;
 130 tamen placebat. Talis Electre fuit
 131 Caeso parente, nata talis Oedipi
 132 caeco parente. Si quis est sensus super,
 133 curis nec umbras exuit mortalibus
 134 donata Divis manibus felicitas,
 135 restatque quod non atra Lethe sorbeat,
 136 salve Batavis dux Arausiade tuis,
 137 ultore nato, vate felix Heinsio.

GRUTERI INSCRIPTIONES.

2 immense serpens, ripa quem Nili colit
 3 squammas virentem semper, et tortos sinus,
 4 qui volvis agmen simplici flexum via,
 5 tui relapsus in notas vestigii,
 6 certis et haeres pervicax exordiis,
 7 voluminumque lubricis anfractibus
 8 in os reductam prodigus caudam voras,
 9 tui triumphans pandit aeratas fores
 10 Gruterus antri : propter, annoso situ,
 11 quae sola crescit temporis dispendio,
 12 repat Vetustas ipsa consumptrix sui,
 13 trahique gaudet. Ille demorsos tibi
 14 poposcit annos, quaeque lustrorum parens
 15 spelunca servat saecula decurrentibus
 16 reddenda saeculis, ducit in lucem manu,
 17 aevoque prisco donat ereptum diem.
 18 Quicquid superbus ambit astrorum chorus,
 19 et illa signis picta testudo poli ;
 20 quicquid creatum siderum princeps Deus
 21 victrix noctis Phoebus illustrat face ;
 22 fatale vulnus sentit, annorum vices ;
 23 tempusque cuncta perdit, et primum perit.
 24 Tam pulchra rerum forma res est unius
 25 dies diei, dumque festinat mori
 26 occidit aetas. Unda momenti rapax
 27 numquam manentis, quicquid occurrit, gravis
 28 trahit fluente mole, nec parcit sibi.
 29 Excisa rupi saxa cano gurgite
 30 ferocientis pulsa nequicquam sali,
 31 quae non voravit fluctus, absorbent dies.
 32 Venis notatum marmor, et commercii
 33 mortalis Aurum pignus, et gemmae, satas
 34 quascumque conchas littus Eoium vomit,
 35 durusque terrae partus inventum neci
 36 letale ferrum, deteruntur saeculis :
 37 vitamque, caeli docta quam rector manus
 38 infudit aeri, temporum tollit mora.
 39 Quid ista flemus parva, cum totae solo
 40 aequentur urbes ? Heu, Quirites patriam
 41 efferte : Roma funus est tantum sui,
 42 urbisque, septem quae sedens in montibus
 43 sublimis orbi jura subjecto dabat,
 44 illinc diei sparsus, hinc noctis domum
 45 tangit, nec ipsa clausus Europa, cinis.
 46 In omne mundi se latus lapsu gravi
 47 ruina fudit. Tuque Graii sanguinis
 48 altrix, et omnis magna doctrinae parens,
 49 olim tuorum terra felix spiritu,
 50 quam nulla restas ! Dira fatorum lues,
 51 si nil profani, quamlibet magnum, tui
 52 ferale virus effugit contagii,
 53 et delibutas peste Plutonis manus,
 54 saltem sepulchris parce. Sacras Manium
 55 sedes, et illud siquid est, quod mortuis
 56 datur superstes esse, quod vivi colunt,
 57 lex universi terret, et rursus mori.

58 Virgo triformis orbis immensi novis
59 dictata praedis semper, et rerum malo,
60 quid impotenter in tuas saevis opes,
61 quid busta, cippos, et gravis victoriae
62 testes columnas, et tropaeorum struem
63 deles, nec Orcum liberas Orci metu ?
64 Umbrae silentes, vulgus inferni Jovis,
65 quibus quietem spondet aternam palus
66 jurata Divis, hic quod amittant habent :
67 postquam fuerunt, indices perdunt quibus
68 fuisse constet : instat et mors nomini.
69 Fas est profecto, fas tamen Divos queri
70 minus minores : Inferis non est grave
71 pati supernis numinum turmis idem.
72 Rex ipse Divum fulminis diri potens,
73 et circinantis tota caeli civitas
74 injurioso prorutas aevi pede
75 despectat aedes tristis. Ingentes morae
76 cedunt colossi. Sol suos annos timet,
77 et Luna menses. Tempa decrescunt situ.
78 Et ille sacris aemulus regum labos,
79 impendiisque structa moles publicis,
80 census beati sola, durando perit.
81 Nam sive lata subjicit saxum basi
82 acuminato pyramis fastigio
83 tactura caelum, sive pons longus domat
84 superbientes amnis objectus vias,
85 agris timendi sive jussu Principis
86 palatiorum surgit excelsum decus,
87 altumque jactant tecta culmen barbaris
88 suffulta pilis, in suum finem ruunt.
89 Quicquid profundis destinatur saeculis,
90 haeredibusque postumis inscribitur,
91 mox litterarum lancinatis ductibus,
92 vocumque membris sponte dissultantibus
93 antiquitatis vindices perdit notas.
94 At tu supremum stirpis antiquae jubar,
95 alumne caeli, Caesaris magni genus,
96 qui das vetusta post futuris saecula,
97 Bataviaeque gentis Eoae sonos,
98 polumque terris, teque nobis, dum licet
99 succurre mundi Scaliger damno. Tuum
100 te tempus audit. Te decet lustris dare
101 leges et annis. Ille felici manu
102 ferventis aevi raptus ex incendio
103 thesaurus, orbis naufragi lectae tua
104 dextra tabellae, parque Velseri labos,
105 perosa dudum claustra privati laris,
106 ibunt in auras, regna nec posthac ferent
107 nocturna, seque mancipabunt publico.
108 Novo parentum maximorum fetui
109 Gruterus almam primus alluxit facem,
110 industriaeque munus obstetriciae
111 promisit : ille tot virorum nomina
112 invidit Orco, totque laudes caelitem,
113 postliminique jure luci reddidit.

114 Custos inertis ante Cocyti canis
 115 cogente magno vidit Alcide diem,
 116 miratus ore triplici solem novum :
 117 vicarioque functa leto Thessala
 118 vitae recepit lumen impensum viro.
 119 Blandum sonante Ditis infensas lyra
 120 demulsit aures, conjugem qui perditam
 121 reduxit Orpheus, et receptam perdidit.
 122 Tenace mortis impeditum compede
 123 ars Aesculapi vindicavit Virbium,
 124 et absoluto jam colus penso semel
 125 novata nentes fila lassarunt deas.
 126 Plus ille fecit, qui tot acti temporis
 127 res delitere non sinit mersas, Styge :
 128 per quem senectam nulla moles pristini
 129 persentit aevi, nec datum Lethes aquis
 130 opus caduco regium sumptu perit :
 131 et mortuorum (quis putet ?) Manes suis
 132 vivunt sepulchris. Sint ut haec communia,
 133 Gruterus ipsos solus aeternat Deos
 134 et sacra servat. Est et haec laus propria :
 135 vicere plures ante legem Tartari,
 136 pro se nec unus ; quosque vivos transtulit,
 137 omnes revexit morte confectos Charon.
 138 At hic perenne nomen omni saeculo,
 139 quod Dis et umbris reddit, hoc servat sibi.

GRATULATIO AD DOUSAM.

F1_07 v.1 Gratulor, o Batavi lux admiranda senatus
 2 Cattiaci, Nortgaeque potens, quod reddere nostri
 3 digna tuis proceres sciverunt praemia fastis :
 4 quod dea, quae tardo mergi vicina Boote
 5 signa tenet, Doussaque Themis se fassa minorem,
 6 causarum strepitu felices liberat aures,
 7 emeritumque senem servat majoribus actis.
 8 Scilicet agnovit sibi patria carius ipsi
 9 temporibus nihil esse tuis : nec enim illa perire
 10 passa moratorum studiis, rixaque forensi,
 11 diffissoque die toties, et murmure inani,
 12 aut te difficiles inter canescere lites.
 13 Attamen in dubiis siquando rebus egestas
 14 extremam sibi quaerit opem, te, Doussa, reposcent
 15 judicia, atque tuo pendebit ab ore senatus ;
 16 tuque tribunalis spes ultima, sacraque vasto
 17 anchora in Oceano stabis, cum turbida ponto
 18 surget hiems, tristesque furent immite procellae.
 19 Ad tua confugiet tum demum oracula discors
 20 curia, tu quoties sententia dissidet ipsis
 21 iudicibus venies iudex, punctoque sub uno
 22 res erit, et scisso prius in contraria fluctu,
 23 te domino discet vento cui pareat aequor.
 24 Fortunata senex, non te sublime sedenti
 25 causarum rectore forum clamoribus emptis

26 mugiet, aut trepidi vendent perjuriam testes ;
 27 non genua attinget tibi sordida turba reorum,
 28 non tabulae ant haeres, non jam tua tempora perdet
 29 circumscripta dolis pueri male puberis aetas :
 30 Non veterum leges, non interdicta Quiritum
 31 subripiunt tibi Dousa diem ; non illa malorum
 32 sarcina, vindictae pro libertate dabuntur :
 33 noster eris. Felix tandem successit Olympo
 34 Lucifer, et Dousae Dousam dedit : ite labores.
 35 Fortunate senex, tu jam tabularia priscae
 36 dona manus, et tu tot in illis saecula volves
 37 non alii servanda viro : tibi credita soli
 38 tot patriae secreta tuae, testesque papyri.
 39 Tu canis et Floros Didricum genus, et Gulielmos,
 40 jam tum saepe bono nomen fatale Batavo ;
 41 tu canis Augustum comitem, domitosque rebelles
 42 cum Flandris Frisios, Wiltaque ab origine gentem :
 43 tu Velsi facinus longeque abeuntibus annis,
 44 Hannonas et Bojos, maternaque bella nefandis
 45 decertata odiis : hinc seditionibus actum
 46 vulgus, et ultrices Furias, populisque timendam
 47 finitimis versam mox in sua viscera dextram.
 48 Cernis ut ad solis radios, lucemque recentem
 49 diffugiat nocturna cohors, clarumque recusent
 50 monstra diem, et nebulae turpes in inane recedant
 51 aurora veniente tua : molesque Gigantum
 52 Centaurique abeant, et fabula prisca Chimaerae,
 53 Scyllaque, nec se ausint manifesto credere caelo ?
 54 Ecce triumphali te falsis credulus error
 55 invectum sequitur curru, et te iudice primum
 56 carceribus damnata levis mendacia vulgi.
 57 At tibi sunt comites, antiqui temporis aetas
 58 jam numero donata suo et veracibus actis,
 59 monstratique amnes, et Flaevus, et altera Rheni
 60 ostia, et Ausoniis celebrata Batavia chartis,
 61 Oceanusque parens, defensae fortiter urbis
 62 qui Lugdunensis tecum partitur honorem.
 63 Sic melior nunc te poscit labor : aut ubi cogi
 64 tempus erit proceres, geminusque vocabitur ordo
 65 concilium in magnum, patriae cui commoda curae,
 66 tu quoque primores inter fulgebis, et inter
 67 cognatos Equites, spectataque pectora bello,
 68 antiqua de gente nepos : Dousaeque sedentis
 69 consiliis vincatur Iber, qui Marte solebat :
 70 aut exercebit Batavi te cura Lycei :
 71 aut tu Nordovicem populum, sobolemque vetustam
 72 Cattorum imperio moderaberis usus avito ;
 73 sepositusque tui quacumque sub arbore regni,
 74 urbanis procul a curis, fremituque togatae
 75 gentis Apollinea redimitus tempora lauru,
 76 dulcia praecipiti concedes otia vitae.
 77 Ilicet accurrent comites ad gaudia Musae,
 78 a puero tibi nota cohors : aqua Pegasis ultro
 79 affluet, et totis Helicon migrabit ab antris.
 80 Temporis interea partem servare memento
 81 Heinsiadae, Grotioque, tuis : tibi Dousa laboris

82 parvi primitiae, tibi se tener impetus aevi
 83 devovet, et quicquid perituris ludimus horis,
 84 conatusque leves. At tu crescentibus ausis
 85 mitis ades, calidam nec dedignare juventam.
 86 Impleat ingenuis sic ille nepotibus aulam
 87 Steppo tuus. Multos sic vivere possit in annos
 88 conjugis et magni totidem numerare triumphos
 89 cara patris soboles, formosi mater Iuli.
 90 Sic socerum digno faciat te Jana marito.

IN SYMBOLUM SCULTETI. VICISSE VOLUPTATEM VOLUPTAS MAXIMA.

F1_08 v.1 Pars melior nostri divinae lucis imago,
 2 mens, alto cognata polo, et caelestibus auris,
 3 postquam corporeos artus moribundaque membra
 4 induit, et tenebris circumdata corporis atri,
 5 exsilium vitae peregrinaque regna subivit,
 6 ingenti pelago rerumque involvitur undis
 7 naufraga. Nunc raucae circumsonat ira Maleae,
 8 nunc Scyllae rabies, nunc impacata Charybdis,
 9 et quidquid timuit victae post tempora Trojae
 10 carmine Maeonio multum cantatus Ulysses.
 11 Ignea namque animi vis excandescit in iram
 12 indomitas imitata feras, dirumque furorem
 13 combibit, et caecos vindictae colligit ignes.
 14 Tunc igitur Ciconum pugnas, tunc caede cruentos
 15 infames patimur Laestrygonas, Antiphatemque.
 16 Tunc et nos Siculo mandit Polyphemus in antro.
 17 Illa quidem gravis est, gravior tamen altera pestis,
 18 quae juvat, et dulci scabiem prurigine velat :
 19 scilicet haec avido lotos gustata palato
 20 optatos patriae prohibet contingere fines :
 21 haec eadem, quamquam forma placitura Calypso
 22 contexta tabulis fuerat fugienda carina,
 23 haec eadem Circe molles effeminat artus,
 24 excantatque virum, mox et sub imagine porci
 25 cogit in immundo grunnire Elpenora caeno.
 26 At quibus ingenii ratio moderatur habenas,
 27 Empusasque leves cohibet, Proteique figuras,
 28 nos neque Trinacria nullo custode vagantes,
 29 Titanis praedamur equos, nec fraude solutis
 30 utribus adverso complemus inania vento :
 31 claudimus at surdas Sirenum cantibus aures,
 32 et fruimur, contra pellacis pocla veneni,
 33 non intellecto superiorum munere moly.
 34 Illud Hymettaea tinctum dulcedine virus,
 35 illecebrasque animi, rabidaeque cupidinis aestum
 36 vincimus, et magno perrumpimus astra triumpho.
 37 Per lusus alii, fucataque gaudia tendunt
 38 ad Phlegethontaei flammantes ignis arenas,
 39 Cocytique vadum, celebrataque Tartara poenis.
 40 Nos Styge, et inferni superato limine Ditis,
 41 victores tandem in superas evadimus auras,
 42 Tranquillaque Ithacae caelestis sede potimur,

43 prima voluptatem quibus est vicisse voluptas.

DE PATRIA.

F1_09 v.1 Quae te digna canam, sanctum et venerabile nomen,
 2 patria ? Vincis enim laudum fastigia, totos
 3 virtutum complexa choros : tibi copia fundit
 4 ruris opes, orbesque novos trans aequora pandit
 5 arcano natura sinu. Miramur olivae
 6 munera victrices inter sibi serpere laurus :
 7 tu decus armorum, tu pignora cera triumphi
 8 Nassavios sortita duces : hinc aurea mala
 9 Hesperidumque hortos tibi mystica tradit Eleusis.
 10 Sic Latium sua pila dedit, sed juncta maniplo,
 11 imposuit cui sancta parens concordia nexus.
 12 Stat virtus comes, et superi stat conscia mundi
 13 relligio, non quae ritu bacchata profano,
 14 simplice sed cultu caeli meritura favorem.
 15 Te quoque venturos audax irrumpere casus
 16 tarda gradu sequitur prudentia, tutaque bello.
 17 Sed belli segura quies, reverentia casti
 18 juris, et alma fides, et quamquam augusta potestas
 19 blanda tamen, tua tota cohors. Gensne ulla reperta est
 20 quae victos servire vetet ? Tu legibus aequas
 21 quos superas bello, regnataque pectora donas
 22 jure sui. Pars prima boni, quo nascimur omnes,
 23 libertas, et in hoste placet. Constantia magni
 24 quanta animi, quod te nimium non prospera tollunt.
 25 Non adversa premunt : quod major clade resurgis
 26 cum fatis saevire vacat ? Viret ardua qualis
 27 palma sub irriguam Jordanis consita ripam.
 28 Pondera felices multum torquentia ramos
 29 indignata sequi. Veteres tibi reddit Athenas
 30 ingeniis redivivus honos : non ulla tot artes
 31 praestat humus : nosterque fidem tibi sacrat Apollo.

DE ITINERE SUO PER RES PROLATAS.

F1_10 v.1 Amans quietis lene dum vadum Lingae,
 2 aestuque jam non turgidas peto ripas,
 3 et otiosum mitis oppidum Burae,
 4 vidi Camenis sacra tecta Lugdunum,
 5 veterisque Rheni stagna, cujus antiquum
 6 caput Batavo litus invidet ponto,
 7 et ubi Quiritum signa fixit Alphenus,
 8 arcemque Wordae, praesulis domum Boii,
 9 faces Enyo jecit unde civiles :
 10 et Didericis longa bella Trajectum,
 11 Antistitales ut retunderent fastus.
 12 Mox ut Sicambros proximavimus fines,
 13 ultraque Buram limiti pedem Geldro
 14 inferre juvit, illud, illud apparet

15 Batavodurum, quae tot urbium princeps
 16 fuit, sed olim. Nunc ubi pares Romae
 17 quaeramus arces ambitusque murorum
 18 et plura divum templa quinquies denis ?
 19 O Lecca dives, tuque non procul Mosa,
 20 fluviique nostri Vahalis alterum cornu,
 21 a voce fontis cujus unda desciscit,
 22 amnes beati, Naiadumque felices
 23 salvete ripae, consciae vetustatis ;
 24 vos cum frequento liber omnibus curis,
 25 vobisque repeto testibus senes annos ;
 26 solutiorque, doctiorque bis vivo.

IN CARMINA I. MEURSII.

F1_11 v.1 Hactenus illa vacans alienis cura libellis
 2 et persanato vulnere nota manus,
 3 desinit antiquis horas donare papyris
 4 et cupit a versu nomen habere suo.
 5 Nuper, et in vulgum sapientibus edita chartis
 6 hoc sibi, qua pergat, Gloria fecit iter.
 7 Praeses ah Arnulpho dium genus, accipe Meursi
 8 carmina, natali carmina digna domo.
 9 Accipe, Veenhusi, quantum majoribus arma,
 10 civiles tantum cui tribuere togae,
 11 Battiadae nemus, et Nasonis sacra renati,
 12 quo dominum donat munere verna liber.
 13 Ipse movet celeres vitae formator iambus
 14 ad tranquilla sui iudicis ora pedes.
 15 Spirat adhuc priscos Jani nova charta labores
 16 et veteris meriti pagina testis adest.
 17 Cum trimetros miror tragica gravitate, videtur
 18 ipse mihi Lycophron, sed sine nube, loqui.
 19 Nec Plauti lepor ille deest, nec digna Catone
 20 scita, nec a Siculo quae sene Musa venit.
 21 Nec sacra Arnobii cum majestate venustas,
 22 nec quicquid Macrobi docta papyrus habet.
 23 O elegia, meo nil concessura Tibullo !
 24 O quibus aequatur Bilbilis ipsa, joci !
 25 O Graiae veteris saeculi decus heroinae !
 26 Quis se, quis vobis postulet esse parem !
 27 Quod legeret Ceyx, si jam superesset, haberet ;
 28 mittitur Alcyones littera scripta manu.
 29 Gnossis ad Aegiden pelago jubet ire querelam,
 30 littoreas inter sola relictas feras.
 31 Nec numeros Nasonis amat, nec verba Catulli ;
 32 Jane, tuo posthac eligit ore loqui.
 33 Procris adulterio nimium tentata mariti
 34 mittit ab Actaeis scripta legenda jugis.
 35 Miletis soboles incestum signat amorem,
 36 germano plusquam debet amica soror.
 37 Myrrha parens fratris, patris uxor, succuba matris,
 38 post tantum potuit crimen habere preces.
 39 Proderet ut patrii Nisaeis fata capilli,

40 hostilis miseram praecipitavit amor.
 41 Cetera quae toto fulgent miracula libro
 42 quid repetam ? Praesens omnia numen habent.
 43 Scilicet in versu Phoebus micat, ipsaque, Meursi,
 44 gaudet in amplexus Musa venire tuos.
 45 Quemque canis crater, erat hic Aganippidos undae,
 46 quaeque arbor meruit carmina, lautus erat.

AD GERNANDUM.

F1_12 v.1 Sancte Nicer, Rheni nymphis gratissimus hospes,
 2 si quando tumidis laberis auctus aquis,
 3 jam cornu majore tuas ascendere ripas,
 4 jam decet aestivam dissimulare sitim.
 5 Ille tuus, tuus ille puer Permesside lympha
 6 potus, et aetherio nectare plenus adest.
 7 Gernandi venerare diem : da sarta capillis,
 8 albaque purpureis lilia mixta rosis :
 9 qualia crescenti tribuit Peneus Achilli,
 10 Thessalicis quateret cum juga feta feris ;
 11 qualia Castalius quoque fons Pythone perempto
 12 fertur Apollineis imposuisse comis.
 13 Da frondes ederae, da laurus virginis umbram :
 14 convenit Aoniis illa vel illa choris ;
 15 da pingues oleas vigilatae praemia noctis :
 16 Palladias artes Palladis arbor amat.
 17 Da quodcumque solet Latios ornare triumphos :
 18 ille triumphato victor ab hoste redit.
 19 Ille tuis quoties posuit vestigia ripis,
 20 lentius attonitas currere vidit aquas ;
 21 audiit Orphea quiddam testudine majus,
 22 et stetit ad doctos mobilis unda sonos :
 23 dum nunc Cecropii repetit commenta magistri,
 24 Porticus et quicquid Gymnasiumque docent ;
 25 scitaque nodoso multum sudata Lyceo,
 26 in quibus et magnus pallet Aristoteles ;
 27 monstra vel errorum domat, Ariique furorem,
 28 subductusque solo celsior astra petit.
 29 En quoties meruit victricis dona coronae.
 30 Hei potuit tantum cur semel illa dari ?
 31 At tu, magne puer, (neque enim puer esse recusat,
 32 ingenio quamvis anticipante senem,)
 33 qui jam Socraticos male pubes praecipis annos,
 34 et, canis potuit quod satis esse, sapis,
 35 inclytus hic coeptis, quibus et finire fuisset
 36 gloria, conspicui perge parentis iter.
 37 Hunc tamen interea, tibi quem donavimus ausum,
 38 ex animo pretium dantis habere puta.
 39 Inferiora tuis Epinicia sume tropaeis :
 40 nam qui digna dates ipse, sed unus, eras.
 41 Artifices nasci tecum non possumus omnes :
 42 hoc est, naturae se superantis opus.

ANACREONTICUM AD HEINSIUM.

F1_13 v.1 Medulla amoris, Heinsi,
 2 et corculum Cytheres,
 3 robustiorque blandi
 4 Anacreontis aetas,
 5 quid grande per theatrum
 6 gravi strepis cothurno,
 7 Arausiique caedem
 8 scelusque Celtiberum
 9 mandas tragoedus aevi
 10 sequentis ultioni ?
 11 Quid ista tam superba,
 12 quid ista digna cantas
 13 promissiore barba,
 14 horrentibus capillis
 15 supercilique fastu ?
 16 Jam pone, pone laurum,
 17 et impedi capillos
 18 semper virente myrto
 19 rosaque semper uda
 20 humore quem serenae
 21 noctis reliquit aura,
 22 incende corda, vates,
 23 vini calentis haustu,
 24 nardo caput perunge,
 25 lanuginisque florem ?
 26 Lanuginis tenellae,
 27 quam Rossa semihulcis
 28 lambitque alitque labris,
 29 dulcique amoris igni,
 30 et halitu Sabaeo
 31 priore cinnamomo,
 32 pubem foveat genarum.
 33 Feroculum poetam.
 34 Et arma jam sonantem
 35 te blandulis ocellis,
 36 tenellulis papillis,
 37 rubellulis labellis,
 38 et osculo integello
 39 rossilla basiatum
 40 abducat in triumphum.
 41 Deus, Deus triumphae,
 42 (nam te vocant Iacchum
 43 et Liberum bimatem)
 44 fave tuo poetae,
 45 qui victor est poeta
 46 sed victus est amator.
 47 Io, Io, triumphae.
 48 At ille victus ille,
 49 furet, furet, furetque
 50 Mysis, Amore, Baccho.

IN FILIUM GUILIELMI MARTINII.

F1_14 v.1 Gaude praecipiti quisquis das gaudia vitae
 2 et quamvis sero quos juvat esse patres.
 3 Tuque hominum officiis non dum defuncta senectus :
 4 vindice Martinio causa probata tua est.
 5 Hanc celebret vates redeat si Teius horam,
 6 purpureis miscens lilia cana rosis.
 7 Ipsa suos versus Peligni Musa recantet :
 8 forte senex miles, forte senilis amor.
 9 Tu quoque Martinio, neque te debere negabis,
 10 Maeonide, debes. Zoilus ecce tacet,
 11 Nestora nec ridet, dum tertia vivitur aetas,
 12 virgineo lateri conseruisse latus.
 13 Nec populum tardo Priami de semine natum,
 14 Hectore vix una prole probante virum.
 15 Plus igitur vernante valent lanugine cani,
 16 ultima nec vitae tempora perdit hiems,
 17 atque aliquid tandem perituris imputat annis ;
 18 et negat haec aetas dedidicisse marem.
 19 Non minus Anchises potuit quam pulcher Adonis,
 20 Tithonus Cephali saepe peregit opus.
 21 Hunc etiam laudat gravitas censoria morem ;
 22 (quid cum Sileno cum Satyrisve mihi ?)
 23 Ipse Cato, vetulis sit quanta potentia nervis
 24 exemplo dignum credidit esse suo.
 25 Quam bene Martinii sunt juncta vocabula Marti,
 26 et Veneris conjux quam bene nomen habet !
 27 Proelia sunt illis, sed amorum proelia cordi,
 28 qualia Gradivus, qualia Cypris amat.
 29 Hinc desperatae tandem tumuere papillae
 30 totque annis menses plus valuere novem.
 31 Flere puellares noli jam mater honores ;
 32 ereptae pretium virginitatis habes.
 33 Paenitet exacti tam longum caelibis aevi
 34 et cuperes istos anticipasse toros.
 35 Ecce voluptates, et gaudia prodidit index
 36 nec Paphios lusus dissimulare licet.
 37 Hoc teneri fletus infantiaque ora loquuntur
 38 Lucinaque tuus significatur hymen.
 39 Fortunate senex, tot demum messibus actis,
 40 ergone sementis jam tibi tempus erat ?
 41 Tu tamen Herculeum potuisti solvere nodum.
 42 Tunc igitur nomen dulce parentis habes ?
 43 Jam migrat in cunas melioris postumus aevi
 44 filius ; hunc nuper nox vigilata dedit,
 45 servatumque diu latus, et non prodiga virtus,
 46 et sine progenie non voluisse mori.
 47 Gratulor haeredem parvum tibi serpere natum,
 48 gignere quem libuit, quem genuisse juvat.
 49 At quantam sobolem segnis tibi perdidit aetas !
 50 Jam poteris proavus, qui potes esse pater.

FARRAGINIS LIBER II.

EPITAPHIUM FRANCISCI JUNII.

F2_01 v.1 Quamquam nec veteris Mausoli saxa, nec audax
 2 pyramidum Pharius surgit in astra labos,
 3 hoc tumulo plus rege jacet : tam nobile marmor
 4 Eoae quondam non habuistis opes.
 5 Ille diu toti nomen venerabile terrae
 6 Junius ex tota mortuus illud habet ;
 7 non qui Tarquinius Tarpeia depulit arce,
 8 non qui Caesareo sanguine tinxit humum.
 9 Mitius ingenium fuit huic, cui candida virtus,
 10 cui placuit sanctae pacis amica quies,
 11 sed tamen hunc etiam duri metuere tyranni.
 12 Hoc quoque libertas vindice tuta fuit.
 13 Ille triumphato toties errore, quadrigis
 14 invectus docuit relligionis iter.
 15 Victa superstitio divinae praemia laurus
 16 et pietas illo praeside laeta dedit :
 17 orba parente domus, pubes studiosa magistro,
 18 quod dolet et lacrimat, ne putet esse suum,
 19 privati non sunt in tanto funere questus :
 20 humani generis publica cura perit.
 21 Collacrimant gentes, et fletus fletibus orbis
 22 misceat : ad cunctos pertinet ille dolor.
 23 Gallia ut ereptum digne lacrimaret alumnum,
 24 contulit huc undas ipse Garumna suas :
 25 hospitis exsequiae tristem traxere Lemannum,
 26 cui Rhodanus socia sponte cucurrit aqua.
 27 Nec tantum tenui lacrimat Germania Nicro,
 28 contentusve suo gurgite Mosa fuit :
 29 in Rhenum fluxere simul, quem maxima luctus
 30 damna tenent ipsa proximitate mali :
 31 atque utinam posset Cattorum littore rupto
 32 in pelagus lacrimas exonerare suas.
 33 Impendit totam vicina Britannia Tethin
 34 Sarmaticaeque procul tabuit unda nivis.
 35 Sufficiunt amnes ? An caelo poscimus imbrem ?
 36 Nil nimis est, et plus imputat ille polo.
 37 Hunc merito Lethe meminisses ipsa dolorem,
 38 et sua mors Stygiis crimina fleret aquis.

ANAPAESTI IN MORBUM FRATRIS FRANCISCI GROTHII, EX QUO OBIIT.

F2_02 v.1 Themidis gremio nata Tonanti,
 2 legis et aequi veneranda parens,
 3 cui contiguus face vicina

4 versat senior plaustra Bootes,
5 tibi si sobolem prisca dederunt
6 saecula somnum, pariterque quies
7 ab utroque venit ; tibi bella silent,
8 ponit rabies violenta minas,
9 et compositas tranquilla tenent
10 otia mentes nec feralis
11 populos in se mergit Enyo :
12 premit indomitos ille furores,
13 membraque longo jactata die
14 lenis placida sub pace fovet,
15 vigilesque animi decoquit aestus ;
16 et quod parili lege coercet
17 genus humanum redditque sibi,
18 genetricis habet.
19 Tibi perpetuos si nostra domus
20 servit in usus, tibi si Grotii
21 gens sacra sumus, tua si quondam
22 cecini parvus munera vates,
23 et praecipiens nucibus positis
24 orsa senectae ludente trocho
25 gente coaeva cepi Latias
26 pectore leges, tibi prima dedi
27 tempora nondum puberis aevi ;
28 tibi si fratris cura diurnas
29 partita vices nunc pulvereo
30 docilis circumducere campo,
31 et nunc minio pingere leges,
32 miscens tereti jura cylindro
33 didicit numeros lancesque tuas :
34 etiam poterat (memini certe,
35 mens ista fuit)
36 in Socraticas ire palaestras,
37 pactisque suas reddere leges.
38 At nunc (o vis invida fati)
39 tenet obsessum pectus Stygio
40 membra veneno depasta lues,
41 et caeca vorat flamma medullas,
42 neque depositos vita superstes
43 sustinet artus, jacet ignavum
44 thalamo pondus, nullaque in illo
45 species restat pristina vultus.
46 Decus hoc oris, decus hoc periit,
47 indolis olim geniique notae :
48 pallor turpis sedet, et macies,
49 longamque sibi lumina mortem
50 lapsa minantur. Novies roseis
51 rediit bigis aurora polo ;
52 novies tenebrae rapuere diem,
53 ex quo virus ferale mali
54 ciet assiduos corde tumultus :
55 cetera torpent languore gravi,
56 mens una fero concita motu
57 nescit placidam ferre quietem.
58 Prope consumpto corpore demens
59 in se morbus perdidit iras,

60 vis laedendi laedendo perit.
61 Consule damnis, studiisque tuis
62 Astraera, fave : non iste ferox
63 ense reperto sociasque trahens
64 in bella manus, polluit olim
65 sincera tui saecula metalli.
66 At nec rupto foedere rerum
67 pelago terrae mutavit opes,
68 purus morum, certaue fide,
69 metuens luxus et pacis amans,
70 multum veteri servat ab auro.
71 Quamquam auxilium medicina negat,
72 quodque supremum miseris, vix jam
73 sperare licet, si forte tamen,
74 si respiciat nos alma Salus,
75 et placato numine Paeon
76 aegrum melior servet alumnum,
77 unumque caput tribuat Mysis,
78 mitique favens Panacea gradu
79 comitem secum ducat hygiam ;
80 praecipe Somno jure parentis
81 veniat facilis, fessosque malo
82 mulceat artus, et Cimmerio
83 genitum saxo nocturna ferat
84 virga papaver, tingatque levi
85 tempora succo, quantum ex illo
86 furata dies, tantum requies
87 blanda reponat. Pellat tumidos
88 pectoris aestus et vesanos
89 animi fluctus, sopor ut reddat
90 mite serenum. Vires illi
91 reparare datum, solique licet
92 vincere durae tela sororis.
93 Dormi, dormi, frater, et acris
94 saltem sensum lucrare mali.
95 Quamcumque feret tranquilla quies,
96 haec suppliciiis hora peribit.
97 Pars cruciatus vigilare fuit,
98 leviusque dolent quos torpor habet.
99 Preme securo lumina somno,
100 totumque oculis expelle diem ;
101 et cum certae nuntia lucis
102 cristas iterum subriget ales,
103 artus nullo torpore graves
104 exue somno.
105 Non interea turbet pavidum
106 pectus imago : non vanus agat
107 subdola Morpheus simulchra virum :
108 non in species eat exanimes
109 laetus inani Phantasus umbra :
110 non horribiles imitata feras
111 variet fallax ora Phobetor ;
112 sed non vaga mens operata sibi
113 repetat solitos pristina cursus.
114 Sin vis animi negat irrequies
115 intus caecam ducere noctem,

116 tu monstrificos averte metus
117 dea Melinoe ; certa salutis
118 faciles praestent omina somni ;
119 jubeat melius sperare sopor,
120 aut insolito vehat axe diem,
121 cinctusque coma radiante caput
122 sol Hesperiiis surgat ab undis :
123 sacer aut aris, Epidaure, tuis
124 medicas serpens offerat herbas.
125 Aut radenti tempora ferro
126 verticis altus decrescat honos,
127 messique cadat silva capilli
128 videat laetam sua vota Deo
129 ferre sororem, videat matrem,
130 fratresque duos.
131 Tantum miseri fugiat natum
132 patris imago, qui festinae
133 tristia maerens fata senectae,
134 hoc praecipuum maeroris habet.
135 Nos, nos socios habuisse mali,
136 nec se tantum doluisse sibi.
137 Satis haec sanos lugere satis,
138 satis haec totos meminisse dies.
139 Quos non ludos, fortuna, facis ?
140 Premis excelsos humilesque levas,
141 pensas totidem dona rapinis,
142 propriumque nihil te dante fuit.
143 Non tam pelagi male certa fides,
144 tunc cum primum tranquilla tument
145 aequora ab imis commota vadis,
146 pacemque sali rumpit subitis
147 nubibus Auster.
148 Nos onus ipsum nominis urget.
149 Nimio constat titulus magni,
150 aut invidiam durare suam
151 fortuna sinit quodcumque beat
152 nomine tanto mortale genus.
153 Quamquam seriem temporis acti
154 longa vetustas repetat Magni
155 meruisse notam, nemo a fatiis
156 impune tulit.
157 Dederat domita prius Aurora
158 procul Oceani visere fines
159 Macetum regi, perque triumphos
160 in naturae currere fines :
161 sed victori famulata diu
162 fortuna, gravem distulit ictum.
163 Medio in cursu sortis amicae
164 jacuit juvenis fraude suorum.
165 Flevit Babylon, mirata nefas
166 tantum levibus licuisse diis.
167 Alter populos vincere Eoos.
168 Parili tenuit qui lege datum,
169 felix Latii cura senatus
170 per maturos vectus honores
171 postquam lauri decus aequoreis

172 quaesivit aquis, Phariumque tulit
 173 gentibus annum, contra socerum
 174 stare tyrannum sanctis patriae
 175 jussus in armis, in Pharsaliae
 176 fata cucurrit : mox Lageam
 177 mandante nefas puero, truncus
 178 pressit arenam.
 179 Quid enim memorem tam crudeles
 180 Constantini Carolique neces,
 181 quibus in summum, quamlibet aevo
 182 vergente, diem, cum sponte sua
 183 jam depleri stamina possent,
 184 rupere tamen fila sorores,
 185 et ut in vitam conquesta nihil
 186 licuisse sibi, facilem mortis
 187 violenta vicem fata negarunt.
 188 Nos privati quos nec gladii
 189 metuere duces, nec rectores
 190 vidit populus jura ferentes
 191 solaque faciunt nomina Magnos
 192 et siquid tu Musa dedisti,
 193 premimur numquam cedente malo,
 194 totoque sali mergimur aestu.
 195 Tu quoque nimium clade recenti
 196 oneras nostram, Francisce, domum,
 197 ut jam pelagus puppe bibentes
 198 decimi fluctus quatit unda rates.
 199 Heu, Cornetti quondam proceres,
 200 heu, gens titulis Adrichema potens,
 201 belloque ferax Hemskercka virum ;
 202 Grotiique parens nominis Agnes,
 203 quorum paenitet esse nepotes,
 204 dum sic humiles fortuna premit
 205 vindexque Deus. Quo decidimus,
 206 sanguis claro degener ortu ?
 207 Sed quid veterum meminisse juvat ?
 208 Pone ex animo genus antiquum
 209 magnosque patres, clara juvenus,
 210 tandemque tuis succumbe malis.
 211 Gravatus hic luctum, nimiumque suae
 212 favet aerumnae, prius exactos
 213 qui dediscit segniter annos,
 214 nondum docilis nova fata pati,
 215 miserumque gerit corde feroci.
 216 Tamen in lacrimis etiam lacrimae
 217 solamen habent. Saepe dolorem
 218 satiasse juvat, nec turpe mihi,
 219 sic heu longas miserum, miserum,
 220 tecum, frater, fallere noctes.

IN MORTEM INFANTIS MARTINII.

F2_03 v.1 Postquam marito scripta, postquam caelibus,
 2 postquam parenti, dentur orbo carmina.

3 Matri superstes ille, conjugii brevis
 4 unae reliquiae, patris heu maesti dolor,
 5 solaciumque triste maternae necis
 6 illum reliquit, hanc securus mortuam.
 7 Valete myrtus, et diu gratae mihi
 8 lauri corollae : rursus ad taxum vocor.
 9 Jactura non te, Martini, simplex premit :
 10 duo sunt in uno funera, effertur simul
 11 puerque raptus, raptaque in puero tibi
 12 pars magna matris : quippe dum viduum pater
 13 dediscis, animo cessit invito dolor,
 14 vultuque in isto speque maternae indolis
 15 sese fefellit : nunc bona primum fide
 16 cunas inanes luges, et viduum torum.
 17 Ubi ille fletus, atque vagitus rudes,
 18 nec semper irae, saepe festivus lepor,
 19 tenerique risus, et vacillanti sono
 20 imitata primum verba ? Solliciti patris
 21 periire vota, sed simul periit timor.
 22 Si non paternae culmen hoc sapientiae
 23 docili juvena vincet, et castos toro
 24 servabit annos, nec favore Principum,
 25 secundus ipsis, in flagranti gratia
 26 tenebit aulam, dulce nec senium patris
 27 affinitate gloriosus nobili
 28 sequetur haeres ; ac nec illius manum
 29 patria vocabit pressa dominatu gravi,
 30 bonumque civem publicae in partem suae
 31 rapiant ruinae ; non in exsilium procul
 32 jugum gravatus ibit, aut sortis suae
 33 suspecta habebit commoda, aut metuet mala,
 34 fastumque fragilis nesciet vitae bonum.
 35 Omnes eodem pergimus. Vita omnibus
 36 data pro miseriis longa, pro cursu brevis.
 37 Fessos labore sola mors donat rudi.
 38 Nulli minoris constat absolvi malis
 39 at hic beatus qui nec aerumnas tulit,
 40 nec illecebras allubescens mali
 41 vivendo sensit, nec pavens mortem puer
 42 in innocentis cecidit aevi limine.
 43 Nos flenda turba, nosque perpetui sumus
 44 materia luctus. Flere felices cave,
 45 quisquis maligna liber invidentia.
 46 Aliena non vis damna cum quaestu tuo.
 47 Praemissus hic est, non tibi amissus senex,
 48 et multa lucriferit a fato mala,
 49 certe senectam, et damna maternae necis.
 50 Et patre adempto lacrimas, quas accipit.

AD GERNANDUM.

F2_04 v.1 Beatus ille qui fugaces actibus
 2 reprendit annos, seque dante longius
 3 quam fata dederunt vixit, impubes senex.

4 Non hunc jacentem publicanus temporis
 5 semisse vitae spoliat ignavus sopor.
 6 Non hic amori, non gulae, non Libero,
 7 prostituit horas, durus exactor sui.
 8 Non hunc juventae dulce torpedo malum
 9 effeminavit otiumve degener.
 10 Non ille morem gessit umquam moribus,
 11 sed quod negavit saeculo vitae dedit :
 12 pretiumque verum tempori dixit suo,
 13 avarus aevi, sed laboris prodigus.
 14 Rarum est in orbe canus ingenio puer,
 15 annos seniles qui repraesentat sibi.
 16 Gernande, talem te colit Germania
 17 paterque Rhenus. Omnis est in fenore
 18 dies, et ejus nulla pars quaestu vacat.
 19 Sic tota ratio constat ut pereat nihil.
 20 Linguas in ipsis doctus incunabulis,
 21 quas poscit usus, exuisti infantiam :
 22 reptasti ad artes inde, properatus puer,
 23 et imbibisti quicquid est sapientiae
 24 cum lacte primo : Quid Deus, quis sidera
 25 limes sequatur, qui rotent mortalia
 26 quantique casus, unde tam certas vices
 27 causae revolvant, saepta quae virtutibus,
 28 veri quis index. Nunc ad aequi regulam
 29 legesque, domito Roma quas orbi tulit,
 30 acclivis aevi prima vertis tempora :
 31 sic usque major cresce : quem te mox virum
 32 Nicer videbit, quae senecta te manet,
 33 cunis senectam praecipit puertia.

IN NUPTIAS D. DE KESSEL.

F2_05 v.1 Mulciberum Batavis nuper sudare caminis
 2 viderat ingenii more miserta Venus.
 3 Incudis gemitus reddebat voce Pyracmon,
 4 et Brontes quantum follis anhelus erat,
 5 forcipe jam posita pictus fuligine vultum,
 6 orabat Steropes otia parva Deum.
 7 At regina Paphi viduas quid ducere noctes
 8 cogeret, et studii quae nova causa rogat ?
 9 Ignipotens classem quae Flandrica vinceret arva,
 10 narrat, et in pelago mille fuisse rates ;
 11 mox bene mutatas Ostendae collibus urbes,
 12 et Valachris nullos jam superesse metus.
 13 "Kesselium nosti (quis enim celebratior ?), inquit,
 14 quo duce non una clade fugatus Iber ;
 15 praecipue tunc cum Nassavia castra reliquit
 16 respiciens Clusam captaque rostra Ligur.
 17 Illi vulnificum nostra fornace metallum
 18 liquitur, et jusso se tenet orbe chalybs,
 19 quo ruat in turmas, trepidum quo fulminet hostem,
 20 cedat ut Hesperio massa recocta Tago.
 21 Scis Batavis servire deos, caelique favorem

22 totius Hornanum promeruisse genus."
 23 At dea subridens : "Nil ultra ; novimus, inquit ;
 24 Boxteliaeque tenet me quoque cura domus ;
 25 trajecti teneris radiat praelata puellis
 26 Meria, Zavethemi sanguinis illa decus.
 27 Qualis ubi niveos perstrinxit purpura vultus,
 28 miratur similes Gratia laeta rosas.
 29 Hanc amat, hanc toto suspirat corpore secum,
 30 et genus est certe formaque digna peti ;
 31 quid properas adeo, conjunx, tua munera flammis
 32 urere ? Cui properas, uritur ille magis.
 33 Arma prius pereant et nomina vana triumphi,
 34 et siquid virtus Martia laudis habet,
 35 quam rapiant hostes, melius quae dantur amicae
 36 tempora ; nec belliis est inimicus amor.
 37 Fortior Alcides in tauros ibat et angues
 38 a Megara quoties venerat ille sua.
 39 Promeruit noctes Pellaei regis Amazon :
 40 hac dominam tetigit qua tulit arma manu.
 41 Quid vetat hunc etiam felici foedere jungi ?
 42 I puer, et facibus pectora junge tuis.
 43 Ne tamen hunc illis, conjunx, precor, instrue telis ;
 44 nil opus est : nudis tela ministrat Amor.

EPISTULA IOCOSA AD HENRICUM DELMANHORSTIUM,
 CUM MEDICINAE DOCTOR CREARETUR.

F2_06 v.1 Baccardus ad me quem secundis litteris
 2 misisse scribis, ille non comparuit.
 3 Sed frater ipso cognitus vultu mihi
 4 pergrato amicas tetigit aures nuntio :
 5 laborioso nempe te Coi senis
 6 cursu peracto justa meritum praemia
 7 promissa doctis Aesculapi filiiis.
 8 Namque ipsa quamquam sufficit scientia,
 9 sibi que satis est, attamen merito juvat
 10 tot eruditus consequi suffragiis
 11 mentis peritae vera testimonia.
 12 Sed quando jam te scire morborum mala
 13 simul et medelas, voce constat publica :
 14 est cur salubris artis experientiam
 15 a te vetustae jure amicitiae petam.
 16 Passim in Batavis, hic sed Hagae maxime,
 17 quaedam vagatur natio mortalium,
 18 quam nescio quis tristis exagitat furor,
 19 sive ira divum est, litigare ut gestiant
 20 semper ; nec ipsis posse rixari sat est,
 21 sed quosdam et alios aere conducunt suo
 22 homines togatos, non quidem per se malos,
 23 sed qui negare sustinent nummis nihil,
 24 clamare pro se quos dies totos jubent.
 25 Nullum quietis est minus patiens malum.
 26 Cursare videas pallidos circum fora,
 27 circum tribunal, iudicis nunc ad domum,

28 nunc ad patroni. Si quis est usquam lapis
 29 magno Galeno notus aut Arabum libris,
 30 si qua est in hortis herba Lugdunensibus,
 31 quae pellere istam possit ex animo luem,
 32 operum hoc tuorum crede. Me certe tuum
 33 valde bearis. Namque nonnihil et mihi
 34 genus hoc molestum est ; quod nisi talis cohors
 35 a me fugaret illa Musarum sacra,
 36 dilecta quondam, non canendis laudibus
 37 tuis, amice, defuisset haec manus.
 38 Quam me juvaret dicere ingenti sono,
 39 qualem mariti fixa telis filium
 40 puella dederit oscinis nigri rea,
 41 qui mox beatae cultus Epidauro deus
 42 aequaret arte, vinceret barba patrem :
 43 quoties docere Pelei puerum volens,
 44 inferre natum, non mederi vulnera,
 45 iratus imam torserit caudam senex :
 46 Argolica quanti fecerint Machaonem
 47 fratremque castra, maxime si quis Phrygum
 48 sensisset arcus ; quomodo multis diu
 49 collecta templis ligna voti nuntia,
 50 et mentis aegrae sommia artem fecerint ;
 51 quae Graecia profecta mox Latium suam
 52 Catone frustra praedicante brassicam,
 53 morbis replevit ; inde Nabathaeos procul
 54 inter magistros haesit ejus dignitas,
 55 donec sub Arcto fulva quaerens vellera
 56 exorta gens est quae salem, quae sulphura,
 57 Majaeque sobolem voce barbarica sonans,
 58 incerta fecit cuncta, quae bona fide
 59 crediderat orbis. Haec ego atque alia insuper
 60 eram paratus dicere haud humili pede,
 61 tuumque nomen ferre in aetherias domos,
 62 animo capaci dona qui complecteris
 63 utriusque Phoebi, carmine atque herbis potens,
 64 nostrisque Batavis Junium praestas novum.
 65 Sed illa nunc me jurgia infelicia
 66 litesque revocant ; ergo quod solum licet,
 67 pia vota peragam. Prospere cedat dies
 68 tibi hic et aegris imperaturis tibi ;
 69 quos inter esto sicut melius vacat.
 70 Mihi nunc quidem non otium est. Quare tibi
 71 debere quidvis malo quam sanam cutem.
 72 Alios valentes igitur ut facias, vale.
 73 Dabantur Hagrae postero Eidus Julias.
 74 Rossae poetam, quaeso, Taciti interpretem,
 75 et Martialis editorem Lentulum,
 76 pro me salutes, qui, velim, in dapibus tuis,
 77 Rhenense nectar more majorum bibant.

EPITHALAMIUM POTTEII.

2 pictum languidulis subter odoribus
 3 ostrum, pulchra, jaces. Non tibi gemmei
 4 cultus virgineas impediunt comas ;
 5 non cervice fluens divitiis tibi
 6 structum barbaricis syrma trahunt pedes ;
 7 non suras cohibent vincula liberas.
 8 Sed qualem docuit saepe recens dies
 9 materno tepidam surgere de sinu,
 10 nulla veste lates : sola sed invidis
 11 non inclusa micant ora tapetibus.
 12 Qualis, puniceum roscida cum jubar
 13 densa nube parens Memnonis extulit,
 14 cedunt astra polo nec facie minor
 15 audet turba choros ducere Pleiadum :
 16 Wachmannae teneras lumine sic novo
 17 perfudere genas, aut pudor, aut amor,
 18 aut utrumque simul. Jam tibi palpitat
 19 pectus sub teneris molle papillulis,
 20 et jam nuda sibi virginitas timet,
 21 nec multum lacrimis fidit inermibus.
 22 Sed jam pone metus. Ducimus en tuum,
 23 Potteium juvenes ducimus, et decem
 24 intacto tenerae corpore virgines,
 25 flos lectus Batava pube, parem quibus
 26 spondent vota diem. Desine, fletuum
 27 ne mox ille suis sorbeat osculis
 28 humentes lacrimis simplicibus genas.

F2_07B v.1 Hic hic est, tuus ille, noster ille,
 2 qui totus nimio liquescit igne,
 3 et quamquam tacitus suique celans
 4 jam non dissimulat suos amores.
 5 At nos illud iter novum novumque
 6 mirati sumus inscii sodales,
 7 quid sub moenibus Amstelis lateret,
 8 et quali cuperet perire forma ;
 9 dum te callidus ille et unus unam
 10 ridentem videt, et videt loquentem,
 11 et fulgentibus imminens ocellis
 12 haurit tot Veneres, Cupidinesque ;
 13 dum tu saucia molliore flamma
 14 docto pendula murmurantis ore
 15 omnes pectore combibis susurros
 16 index cordis et artifex amoris.
 17 Tantum si placuit loquela, crede,
 18 blandi plus sapit osculum mariti.

F2_07C v.1 Ad te prosit vertisse preces,
 2 o felices experta toros,
 3 non ignoto sanguine mater !
 4 Nam te virgo respicit unam,
 5 et tibi fletus imputat istos.
 6 Miseram, miseram solare, parens :
 7 dic non tales instare metus.

8 Tibi commendat sua vota gener,
 9 dominamque velis placare rogat.
 10 Te namque suis facilem sensit
 11 persaepe malis ; tu sueta viro
 12 flectere durae sensa puellae.
 13 Noras etenim quam virtutum
 14 fecunda foret Potteia domus,
 15 quibus ingenium moribus olim
 16 pia firmarit cura parentum,
 17 ne securos minus auderet
 18 saeclum contra tollere vultus,
 19 quo non ullum metuente nefas
 20 heu virtuti jam rarus honos.
 21 At nec desunt exempla tamen
 22 iudicis aequi, nam vera boni
 23 bona respectant. Vos non tantum
 24 res ampla domo, divite censu,
 25 (qui nunc mos est vendere taedas,
 26 postquam coepit nomen amoris,
 27 excors vivium mentis avarae)
 28 nec maturi gravitas multum
 29 sobria vultus, quamquam merces
 30 haec virgineae debita formae,
 31 quantum juvit sincera fides,
 32 rigidique capax pectus honesti,
 33 sanctaeque animi provida cura
 34 et doctrinis satiata quies.
 35 Non hic nostrae more juventae
 36 it furtivas quaerer noctes ;
 37 non alterius foedera turbat :
 38 in pacta sibi gaudia venit.
 39 Quare solio propiore sedens
 40 cum pulvinar geniale premes,
 41 summaque figes oscula natae,
 42 age dic Mariae, "Mater", in aurem :
 43 jam cedendum de parte tori.
 44 Contrahe paulum juvenile latus,
 45 et sic spatio brevior jace ;
 46 debes genero mea nata locum.

F2_07D v.1 Candida transmisso Phoebe rutilantis Olympi
 2 culmine praecipitat bigas, caeloque cadenti
 3 invehitur. Centum stellae, centum aurea circum
 4 sidera, languidulis quae luminibus scintillant,
 5 quae vestros procul ex alto speculantur amores,
 6 et prius aetherio nolunt decedere cursu,
 7 quam vos compositos suprema nocte relinquunt.
 8 Sed nunc ite procul gens imperiosa puellae,
 9 et pueri procul ite, vacet nova nupta marito.
 10 Claude, marite, fores, et dum deponis amictus,
 11 basiolis solare moras : tua tempora currunt.
 12 Felix, quae patrios curvo de littore fundis
 13 Oceano regina sinus, urbs totius orbis
 14 hospita, quam donis Oriens, supremus adorat ;
 15 non quia mille tuae volitant super aequora puppes,

16 non quia caerulea frontem redimita tiara
 17 mittit odoriferas tibi decolor India messes ;
 18 sed quia non alibi formarum tanta superbit
 19 gloria. Vincit enim praelato corpore, vincit,
 20 oppida tu quantum, tantum Wachmanna puellas.
 21 Felix illa etiam, juga quam surgentia densis
 22 collibus et virides occultant undique silvae,
 23 libertas tua sancta domus, non moenibus ullis,
 24 sed genio defensa loci, ubi currus et arma
 25 sunt ducis, et quo non audita sub axe tropaea ;
 26 hic etenim legum studiis operata juvenus
 27 in patriae decus, et promissos crescit honores.
 28 Hic Potteius erat, similes cum degeret inter
 29 laetus amicitias, alternaque tempora vitae
 30 nunc illi veneranda domus, castique penates,
 31 nunc immite forum molli disponderet aevo ;
 32 quem rosea toties in virgine suspirantem
 33 deprendit tacitis nox evigilata tenebris.
 34 At tu, quam circum sinuoso flumine ludunt
 35 Scaldis, et illabens piscosas Mosa paludes,
 36 infelix, felixne magis, placidissima tellus,
 37 Belgarum princeps, dum pax et jura manebant,
 38 unde viro domus et cunabula prima puellae ?
 39 Sed tamen haec olim. Pietatem cedere postquam
 40 jussit Iber, titulusque fugae fuit incluta virtus,
 41 omnes, nec querimus, fecit fortuna Batavos.

F2_07E v.1 Age jam beate conjunx,
 2 (tibi Gratiae, Venusque,
 3 tibi nam favent Amores)
 4 simul in tuum cubile
 5 rapido ferere saltu,
 6 simul illa vela pandes
 7 tua sub quibus quiescit,
 8 cave frigus aestuantem
 9 grave vulneret puellam.
 10 Adhibe tuos lepores,
 11 tenerumque circumactae
 12 rape basium puellae.
 13 Resonent labella contra
 14 resonantibus labellis,
 15 neque tu genas omitte
 16 juvenile purpurantes.
 17 Quid enim genas omittas
 18 modo quas madere fletu
 19 tuus ille jussit ignis ?
 20 Neque flammeos ocellos.
 21 Quid enim reos amoris
 22 patiare nunc inultos ?
 23 Niveos sed in lacertos
 24 et eburna colla fusus
 25 pete suaviis vicissim
 26 oculos, genas, et ora.
 27 Bibat igneos odores,
 28 bibat halitus pudicos

29 et in ore jam natantem
 30 animam trahat medullis.
 31 Sed et ipsa mox fideli
 32 tepefacta cordis oestro
 33 referat subinde longas
 34 tibi basiationes ;
 35 sed et ora semhiulcis
 36 tibi vellicet labellis
 37 imitata lene murmur
 38 ab amantibus columbis.
 39 Sed et inter osculandum
 40 superest, marite, quiddam
 41 meliusque dulciusque :
 42 digiti sciunt procaces
 43 quid agant apud papillas,
 44 ubi lacteas sorores
 45 spatio brevi diremptas
 46 premit horridum cacumen
 47 referens rosae pudorem.
 48 Scit et illa quid paretur ;
 49 gemina repente palma
 50 geminumprehendit uber ;
 51 negat ecce pernegatque.
 52 Neget usque pernegetque,
 53 ita nuptiale foedus
 54 perhibet : licet negare,
 55 licet et negata ferre.

F2_07F v.1 Nescio quis subito sonus auribus
 2 accidit : an felix crepuit torus ?
 3 Agnosco tua sacra potens Amor
 4 orgiaque et thyasos Amathunditis.
 5 En etiam noctem sine lumine,
 6 quales ad tenebras olim Venus
 7 in complexibus haesit Adonidis,
 8 o placidae pacis certamina,
 9 tu quoque furtivis, o lectule
 10 conscie deliciis ; et jurgia,
 11 totque voluptatis praeludia,
 12 felix purpueris quae vos tulit
 13 aurea curriculis perniciosior
 14 hora, boni veniens gremio Jovis.
 15 At tu, tanta manent quem gaudia,
 16 ne metuas audire, ferus, ferus.
 17 Impacata licet desaeviat,
 18 oraue formosis notet unguibus,
 19 in tua jura venis. Casti pete
 20 corporis exuvias : tibi nam tibi
 21 devictus spoliū debet pudor.
 22 Altera procedent mox tempora ;
 23 suave micans tremulo cum lumine
 24 vi tibi pro tali grates aget,
 25 et vinci voluisse fatebitur.
 26 Interea flos dulcis, et abdita
 27 virginitas lustris bene quattuor,

28 heu subito moribunda, vale, vale.

F2_07G v.1 Jam fatiscentes amore
 2 conjuges beatuli,
 3 dum pavent artus anhelis
 4 languidi singultibus,
 5 et fragrans odore casto
 6 dulce sudat lectulus,
 7 sic amate, sic jacete.
 8 Nox, marite, nox tibi
 9 invidet, possis amantem
 10 ne videre conjugem,
 11 quae stupens se nescit ipsa,
 12 zonulaeque conscia
 13 inter amplexus solutae,
 14 pallidum quiddam rubens,
 15 molle secretum fatetur :
 16 jam recomponit latus,
 17 jam caput pulchrum supinat,
 18 imminens semper tibi,
 19 teque semper irretortis
 20 vulnerans obtutibus.
 21 Talis in gemmante prato,
 22 quae serenum fulgurat,
 23 lusus aureae parentis
 24 et Cupidinum. Rosa,
 25 educata rore noctis
 26 osculisque Naiadum,
 27 solis ad comas tepentes
 28 ipsa defluit comis,
 29 inque luteum papaver,
 30 inque violas funditur.
 31 Quantus ignis in medullis !
 32 Quantus ardor vocibus !
 33 Quantus basiis voluptas !
 34 At quis ore blandulo,
 35 udulisque te labellis,
 36 bella, jussit ludere ?
 37 O puella, nunc et uxor,
 38 sive Potteium sinis
 39 lacteo pendere collo,
 40 seu virili subditum
 41 laeve cervici jubetur
 42 brachium livescere,
 43 seu tuus dulcem maritum
 44 dulcis exspectat sinus,
 45 sive mutuis placebit
 46 implicari vinculis,
 47 sicut indivulsa lentae
 48 vitis haeret populo,
 49 quisquis est, qui vos juvabit
 50 nexus, astringat fidem,
 51 et vicissim conjugales
 52 pectus exspiret faces,
 53 donec halitus remistos

54 gratus invadat sopor.

F2_07H v.1 Candidis carum juvenem lacertis
 2 comprimens dormi, nova nupta dormi :
 3 dumque respiras placidam quietem,
 4 pars tibi curae melior diurnae
 5 caeruleis somni revehatur alis.
 6 Jamque marcenti tibi cor resultet
 7 gaudio primam metuente noctem ;
 8 jamque luctantem gremio repellas,
 9 dum pudor sanus sua quaerit arma,
 10 nec satis totum patitur maritum.
 11 Torqueant illum simili sub umbra
 12 vana non fictae simulacra flammae.
 13 Nunc in amplexus ruat, et labellis
 14 sponte in alternos patulis hiatus
 15 osculi captet liquidi saporem.
 16 Nunc manu castos fugientes artus
 17 prenda, et dulci metuat rapinae.
 18 Inter has curas, animique lusus,
 19 transeat majus spatium diei.
 20 Ille nec, cristas ubi tollet ales
 21 nuntio cantu teneri soporis,
 22 otium rumpat, mediusve Titan
 23 turbet oclusos radiis ocellos :
 24 nec prius tergat geminas puella
 25 luminum gemmas, tunicamque poscat,
 26 sera quam summae cadet hora lucis
 27 mixta fulgori dubio tenebras,
 28 cum jugo Phoebus petit exsoluto
 29 barbaros Gades, nitidumque vesper
 30 ordinat Lunae redeuntis agmen :
 31 nec tamen surgat, nisi discat ante,
 32 visa nudatis melior papillis,
 33 quid virum monstret, faciatque matrem.

IN NATALEM PATRIS.

F2_08 v.1 Non ego, quantumvis nimia prope mole laborum
 2 impediior veteres semel intervisere Musas,
 3 dulcibus et studiis viridem exercere juventam,
 4 luce tua sileam, genitor. Concedite leges ;
 5 prima piaae soboli lex est placuisse parenti.
 6 At te nunc variis jactatum saepe procellis,
 7 sortis et omnigenae memorem, declivior aetas
 8 accipit, atque actis utinam felicior annis.
 9 En erit ut quondam post tot sua crimina canos.
 10 Erubeat fortuna tuos ? Quamquam horrida mentem
 11 cura premit, placidamque negat commissa quietem
 12 aula ducis, tamen haec mecum solacia sume,
 13 quae te sola juvant lustris plus quattuor, ex quo
 14 formasti teneras primo mihi tempore voces,
 15 errorem discentis amans. Tum protinus artes
 16 ingenuas, quantum haec aetas permisit et ultra,

17 exhausti duce te. Testor mea gaudia, famam,
 18 et quas nunc etiam non possum odisse Camenas,
 19 septenasque artes, et sidera testor Arati,
 20 fasque sacrum, totaque Deam tellure fugatam,
 21 si quid in orbe meum legitur, patris omnia, patris
 22 lector habes : didici quo solo audere magistro,
 23 et veniam sperare tuam. Quam spernere longas
 24 dulce dapes, mentemque animi non mergere Baccho,
 25 nec juvenum novisse choros, sed saepe tenebras
 26 furari studiis, et nocte extendere vitam,
 27 monstravit genitor, dum corda inconscia culpa
 28 avertit saeclo, laudisque inflammat amore.
 29 Plus hoc (ipsa dabit veniam natura fatenti)
 30 quam genuisse fuit. Nam vitam et luminis auras
 31 non semel ille dedit, per quem superesse sepulchro
 32 possumus, et nostri memores sperare nepotes.
 33 O saltem liceat, si non persolvere grates,
 34 (quod divinae opis est, hominum insuperabile votis)
 35 certe aliquos fructus et dona rependere tantis
 36 muneribus. Satis ergo pater, satis ergo voluptas
 37 illa tibi, cum vel Libyci trans vasta profundi
 38 aequora, mecum una Batavum ad miracula Gangem
 39 prospicis attonitum septeno se ore ferentem.
 40 Taprobanem contra, (totus fugit undique maesta
 41 puppe Tagi populus, veniunt ad foedera reges)
 42 vel cum res patriae, patriaeque extrema, tuentem
 43 Mauritium et multum sudantem in littore Flandro
 44 me scriptore vides ! Nec vis Cornelia fallit,
 45 nec Crispi te senza brevis. Juvat addere leges
 46 militiamque fori. Nostras tua dextera palmas
 47 computat, et similes jubet exorare triumphos.
 48 Accipe et haec quae parva fero. Quae vota dicabo,
 49 quasve preces ? Redeat gaudenti saepius iste
 50 Lucifer, et trina videat te prole beatum,
 51 conjugioque hilarem. Me me tibi fata reservent
 52 dum placeo, et patrias possum prodesse mereri.
 53 Sic matri se nata probet, moresque pudicos
 54 accipiat ; sic ille puer praestantior annis
 55 in tua se moveat vestigia, nec mihi cedat,
 56 acta sed a tergo longe fraterna relinquat.
 57 Audi haec Omnipotens, puramque ante omnia mentem
 58 et caeli promitte fores, tum cetera firma.

IN JOHANNIS MEURSII 'DE LUXU ROM.' LIBRUM.

F2_09 v.1 Qua stet fortunae nimius favor, impete quanto
 2 in se victa suo pondere magna ruant,
 3 invida fatorum majora exempla potestas
 4 queis dare non potuit, dat tibi charta brevis.
 5 Quid prius hic mirer ? Quo gens tua, Romule, venis
 6 a Tatii stipula, fictilibusque Numae ?
 7 Suspensi dubia fluitant in veste Quirites ;
 8 frangit odoratas Martia turba comas.
 9 Luxus opes sequitur, civilis buccina belli,
 10 inque dies gliscens in sua damna furor.

11 Quid referam, ne non turbent patrimonia mensae,
 12 quaesitas hominum non sine morte dapes ;
 13 servorum totas acies, privataque regna,
 14 crystallum, gemmas, citrea, marmor, ebur ;
 15 intra tecta lacus, et supra culmina silvas,
 16 inclusumque domo quicquid ubique fuit ?
 17 Ferrea Romanus tunc sacula vixit in auro,
 18 non jam Saturni, nec Jovis ille memor.
 19 Non erat hic populus, cui prisca Palilia saepe
 20 quaerendos dederant inter aratra duces.
 21 Haeres Pergamidum, sector Carthaginis hic est,
 22 et cui vectigal sola rapina fuit.
 23 Quid miramur opes, magnum quas moribus istis
 24 perdere flagitium : quaerere majus erat ?
 25 Orbis enim, non urbis erant. Quid denique tantum,
 26 si dives mundo paupere Roma fuit ?
 27 Illa quidem dives ; sed qui comprehendere Romam
 28 ingenio potuit, ditior ille mihi.
 29 Quaedam corporibus tribuit Deus, omnia menti :
 30 hac homines facti condicione sumus.
 31 Si meus in Roma totum dat Meursius orbem,
 32 non orbem, non te maxima Romavelim.

IN JUSTI LIPSII OBITUM.

F2_10 v.1 Siquid adhuc hominis civili bella relinquunt,
 2 et vinci officiis hostis ab hoste potest,
 3 orantem Batavum tandem, Brabante, videbis.
 4 Ille ferox, supplex incipit esse tuus.
 5 Nec sunt improba vota : brevis mora poscitur armis,
 6 quae tutum vestro limite sistat iter.
 7 Sic olim laceri venturus ad Hectoris artus,
 8 Dorica non timuit castra subire pater.
 9 Pone metum, ferrumque simul : veniemus inermes,
 10 et tantum lacrimas agmina nostra ferent.
 11 Servat ubi doctos cineres monimentaue Lipsi
 12 viventis nuper, notus ab ore locus.
 13 Flebimus immixti pariter, solumque manebit
 14 certamen, tangat quos magis iste dolor.
 15 Hic ne jaces, Lipsi ? Clamabimus. Hoc tibi praestat
 16 patria, tot cartis vivere jussa tuis ?
 17 At Rheni in ripa vacuus morbisque malisque,
 18 plenus honore, tuus denique totus eras.
 19 Cur male sperasti de libertate Batava ?
 20 Cur tibi vilis, opus, nostra juvena, tuum ?
 21 Debata Lugduno saltem fuit ista sepulchri
 22 gloria : non alibi sanctior umbra foret.
 23 Quo mihi centenis splendentia templa tropaeis,
 24 hoc de me spoliolum si meus hostis habet ?
 25 At vos, si gravius quid dictum, ignoscite, Belgae ?
 26 Non sunt haec odii verba, sed invidiae.

IN FEUDA CORNELII NEOSTADII.

F2_11 v.1 Gloria Gymnasii quondam, nunc magna senatus
 2 portio, conspicuum nomen utraque toga,
 3 jura paludicolae domino maris edita donas,
 4 Oberti veteres ausus inire vias.
 5 Ille dat Insubribus, tu nostris Feuda Batavis,
 6 indelibati grande laboris opus ?
 7 Tu successorum morientia jura, diuque
 8 oblitas leges priscaque pacta refers :
 9 in quorum exitium jamdudum proficit aetas.
 10 Res patriae quantas parva papyrus habet !
 11 Te mores voluere ducem ; tibi credidit usus,
 12 et solita haec jurat, quae placuere tibi.
 13 Haec docuisse puto Themis aut didicisse fatetur.
 14 Nam prius oraclis nil habet illa tuis.
 15 Astraeae genius, saeculi lux hujus, et acti,
 16 juris honos, patriae dextera, norma fori,
 17 perge, Neostadi, tabulas proscribere, recte
 18 de plano possint omnibus unde legi.
 19 Quod Romae bis quinque viri, Spartaequae Lycurgus,
 20 Cecropiisque Solon, tu potes esse tuis.
 21 Vive diu tantum, nec sit tibi visere manes :
 22 tu Batavis Minos, et Rhadamanthus eris.

IN OBSERVATIONES FEUDALES CORNELII NEOSTADII.

F2_12 v.1 Res est laboris plena, nutantis levi
 2 momenta causae, pendulas inter vices,
 3 trepidaeque lancis semper alternans onus
 4 librae subacto ponderare examine,
 5 aequata dubiis jura partitum reis.
 6 Et hoc, et hoc plus tu, Neostadi, facis,
 7 priscos Batavae qui labores curiae
 8 inspersaque actis judicum suffragia
 9 censore libro promissis, et causae statum,
 10 summamque litis, atque controversiae
 11 apices sagaci deprehendis spiritu.
 12 Res judicatae plurimum debent tibi,
 13 quas erogati restitutor saeculi
 14 discis, docesque : latius quamquam tuum
 15 patet tribunal, saepa nec novit forum.
 16 Et auctor ille veritatis calculus
 17 toto vagatur orbis auditorio
 18 archiva nostra publico jussus dare,
 19 sententiamque ferre de sententiis.

FARRAGINIS LIBER III.

ANAPAESTI IN MORTEM BEZAE.

F3_01 v.1 O quae viridis margine ripae
 2 puri propter stagna Lemani
 3 urbs parva sedes, parva, sed altis
 4 ingens animis, felix nuper
 5 vel ad invidiam totius orbis,
 6 dum Beza fuit, quis te tanto
 7 decore orbatam maerere vetet ?
 8 Non trux hostis, solitus quamquam
 9 tacitos etiam ferro vultus
 10 flammaque sequi lacrimas ausit
 11 damnare tuas.
 12 Nulla quiescant lumina fletus ;
 13 imbre genarum lacus exundet,
 14 nec jam fluvio memor antiquam
 15 servare fidem sibi turbatum
 16 misceat amnem Rhodanusque celer
 17 pelago salsas inferat undas.
 18 Humida tundant ora lacerti :
 19 crebro manuum verbere discant
 20 pectora saevum ferre dolorem.
 21 Gemitu vasto mugiat aer
 22 cui nimbosum rigidus subdit
 23 Jura cacumen ; gelidisque sonans
 24 Alpibus Echo nubes inter
 25 canasque nives tantum planctus,
 26 tantum Bezae nomina reddat.
 27 Nos interea, quos tam longe
 28 situs axis habet, tetigit vester
 29 dolor, Allobroges : quamquam cui non
 30 funus licet hoc dixisse suum ?
 31 Bezam Batavi, gens nota salo,
 32 notaque bello, Bezam remis,
 33 ipsis Bezam plangimus armis ;
 34 totidem fletus, totidem gemitus
 35 nostris vestros cumulare juvat ;
 36 vento tristes reddente sonos
 37 fremit Arctoum littus et ingens
 38 regia Nerei.
 39 Luge Bezam, sacrata cohors,
 40 quae mortales inter plus quam
 41 mortales sapis : templaque soli
 42 possessa Deo, quibus effigies
 43 verba magistri. Jacet ille, jacet
 44 cujus peragi publica sacris
 45 vota Camenis audiet aetas
 46 ultima, et orbi quae ventura est
 47 suprema dies. At tu justas

48 agnosce Dei vindicis iras :
49 gens flagitiis immersa tuis,
50 Non in poenas jam sufficiunt
51 barbarus hostis, quaeque agnatum
52 sitiens acies bina cruorem
53 patriam telis utrisque petit :
54 non jam morbi satis in vulgus
55 vili tantum strage furentes ;
56 non subductis frugibus anni
57 fecere famem ; nova tela placent :
58 tota Bezae morte ferimur.
59 Quis sollicitis posthac populis
60 responsa dabit ? Cujus verum
61 fortius umquam charta loquetur ?
62 Quod cor virtus sincera leget,
63 quod nunc pietas dabit exemplum
64 specimenque sui ? Cujus vitae
65 contra saeculum signa sequemur ?
66 Ne pugnacis rabies animi
67 sibi doctrinae poscat honorem :
68 ne quaesiti nubila vultus
69 gravitas morum casta vocentur,
70 mala ne speciem mentita boni
71 cum divinis humana trahant.
72 Cecidit toti flebilis orbi
73 qui modo vivens in se totum
74 traxerat orbem. Silet os illud,
75 quod sperasti Gallia solo
76 te posse loqui.
77 Cecidit, cecidit dux saepe ducum,
78 rector populi, cujus in omnes
79 magna potestas sine fasce fuit ;
80 cujus sapiens labor antiquos
81 respicit annos, virtus nostros,
82 fama sequentes.
83 At tu salve, summumque vale,
84 venerande parens ; vis nos certe,
85 vis insano parcere luctu ;
86 imperiosum sed te contra est
87 desiderium pertriste tui,
88 solumque hoc est quod fas nobis
89 esse putemus, cum Beza vetet.
90 Quidquid in omni nimium luctu est,
91 tibi, Beza, parum est, unusque modus,
92 nullum lacrimis novisse modum.
93 Gaudet semet satiare dolor,
94 nec solamen potuisse pati.
95 Quamquam longi fessa laboris
96 prope ab humani metis spatii,
97 tua vita stetit, quamquam cernens
98 ut melioris reliquum saeculi
99 te posteritas tua mirata est :
100 et vix olim quanta sepulto
101 contigit ulli, non in mortem
102 dilata tuam gloria, verum
103 tibi te monstrans comes annorum

104 fida cucurrit, tamen heu nobis
 105 immaturo funere raptus
 106 Beza videris. Quid enim mirum est
 107 hunc, quem quondam, sua cum legeret,
 108 numquam juvenem credidit aetas,
 109 etiam nobis numquam credi
 110 potuisse senem ?

IN JOSEPHI SCALIGERI EUSEBIUM.

F3_02 v.1 Quod per scripta tuos putamus annos,
 2 et quod nunc, ubi te senem repente,
 3 qualem credidimus diu, videmus,
 4 nondum pristina pensa deprecatus,
 5 libro, Scaliger, explicas in uno
 6 umquam quod fuit, et fuit quod usquam.
 7 Hoc pro munere quid tibi precemur,
 8 ingens gloria maximi parentis,
 9 quem Verona suum videns nepotem
 10 justas sideribus remittit iras ?
 11 Unum difficile est, tibi quod opto,
 12 tandem tempora digna consequaris,
 13 et gratos homines, piumque saeculum.
 14 Quod ni flagitiis fugata nostris
 15 totum gratia demigrasset orbem,
 16 cantarent populi, quibus vetustos
 17 verus digeris ordinator annos.
 18 Laudes quisque sua tuas loquela,
 19 sed quam discere te docente debent.
 20 Te gens totius inquilina mundi
 21 Judaei colerent, tibi sacrata
 22 laevis carmina scriberent figuris :
 23 Nino te pariter Semiramique
 24 praeferret Babylon ; Pharos, superbas
 25 de te Pyramidas loqui juberet
 26 non ignobilium notis ferarum ;
 27 te cultor Libani, celerque Medus,
 28 te tortis niger Aethiops capillis
 29 aeternum celebraret, et beatae
 30 frugis messor Arabs ; magique Persae
 31 cum Mithra tua facta compararent.
 32 Nam quid cum Latio loquar Pelasgos,
 33 quos jam demeritus puer fuisti ?
 34 Sed quemvis fidei bonae tot ista
 35 fiant nomina, debitorque mundus
 36 quaerat solvere quicquid imputasti,
 37 numquam non remanebit obligatus.
 38 Tantum posteritas nec ulla reddet,
 39 quin acceperit amplius vetustas.

AD SCALIGERUM.

F3_03 v.1 Proles vera ducum, et ducibus majoris Iuli,

2 digne cui haud tantum Scoppius inuideat ;
 3 nobile sed quicquid, sed doctum quicquid ubique est,
 4 doctrinae princeps, nobilitatis honos :
 5 tene hi qui Latiae vendunt mendacia turbae
 6 fraudatum tantae gentis honore volunt ?
 7 Aut potius tanto fraudatam nomine gentem,
 8 per quod nobilior nobilitate sua est ?
 9 Nam poteras fieri magni tu sanguinis auctor,
 10 ni tibi per tantos stemma veniret avos ;
 11 teque sibi proavum, quem nunc habuere nepotem,
 12 Mastini cupiant, belligerique Canes,
 13 et quocumque Athesis quondam rectore superbit,
 14 conditaque Brenni moenia militibus.
 15 Nunc aliter visum superis, illustris ut in te
 16 gens per tota decem saecula proficeret.
 17 Non puduit claros post saevo Marte tyrannos
 18 edere divinum Caesaris ingenium ;
 19 nec stetit hac fini, nec spes fuit ultima Caesar ;
 20 quin vires iterum est ausa novare suas.
 21 Post te fecundos sed desiit illa labores,
 22 ut quod jam majus gignere nil poterat.

BONO NIHIL MALI.

F3_04 v.1 Exsilia, morbos, damna, pauperiem, probrum,
 2 mala quisquis arbitratus ipsa est non bonus.
 3 Namque illa facili turbine obveniunt foris,
 4 aut sortis inconstantia, aut motu levi
 5 popularis aerae, nemo quae sapiens timet,
 6 cum nec timore, nec dolore digna sint.
 7 Mala quisquis egit, patitur, artificem in suum
 8 isthaec redundant, quaque nascuntur, manent.
 9 Scelestus accusator insonti reo
 10 multo est miserior, carnifex intus suus
 11 quem talionis lege damnat conscium,
 12 furiaeque torquent. Quicquid agites, hoc time,
 13 nec aude in alios ipse quod nolis pati.
 14 Culpam sequetur poena. Culpa ipsa est satis
 15 poenae, superque. Sene, qui suffragia
 16 prius empta vendunt, serviuntque opibus suis,
 17 putent beatos ? Sunt mali. Hoc quantum est malum !
 18 Sunt alia forte, quae putes incommoda :
 19 haec fugere, siqua liceat, haud dissuadeo,
 20 dum prima maneat cura, sapienter, pie,
 21 probeque vitae currere hoc stadium brevis.
 22 Quin illa ab aliis quae venire dicimus,
 23 plerumque nostrae potius insipientiae
 24 sunt imputanda. Rarus est amor sui,
 25 cum nemo amantem se sui non aestimet,
 26 et aestimetur. Regna non regnum modo,
 27 provinciaeque proximam provinciam
 28 bello lacesunt, vir virum, domus domum.
 29 Homo ipse summus semper est hostis sibi.
 30 Quid, stulte, vitas castra, mare, turbas, forum ?

31 Nescis, ubi omnis summa sit periculi :
 32 si vis tibi cavere, te primum cave.

IN NUPTIAS JOHANNIS MILANDRI, DOMINI DE POEDEROYE, ET MARIAE HOHENLOIAE.

F3_05 v.1 Siderei vultus et candida virginis ora,
 2 mille petita procis, mille negata procis ;
 3 luminaque Eois aequale nitentia gemmis,
 4 et quicquid Mariae dulce Milander amat :
 5 dum stupet ad vestrae populus miracula formae,
 6 votaue, sed meritis inferiora, facit,
 7 gratulor ipse meo, decus hoc quod contigit aevo.
 8 Non est quod placeant saecula prisca sibi.
 9 Hanc bene si Phrygia spectasset pastor in Ida,
 10 jussisset victas tres simul ire deas.
 11 Quin posses Paridi, posses ignoscere Trojae,
 12 talem Ledaesus si genuisset olor.
 13 Hanc si vidisset male dissimulatus Achilles,
 14 nunc etiam virgo Deidamia fores.
 15 Haec Tyriam Libyco fundasset littore gentem,
 16 Roma potens Teucros non numeraret avos.
 17 Gratulor et sponso : quid enim felicius illo,
 18 cujus in amplexus tam bona forma venit ?
 19 Ille, diu magni dum Principis arma secutus
 20 commodat imperiis consiliisque fidem,
 21 longa quidem castris metitur herique triumphis
 22 tempora, continuo factus honore senex ;
 23 sed nunc en niveis iterum juvenescit in ulnis,
 24 praeteritosque dies non putat isse sibi.
 25 Gemmantes oculi, roseisque impressa labellis
 26 oscula quid possunt, virgineique sinus ?
 27 A domina recipit, domino quos imputat annos ;
 28 nunc fruitur vita, qua prius usus erat.

IN MORTEM JACOBI ARMINII.

F3_06 v.1 Scrutator altae veritatis, Armini,
 2 sublime pectus, anima feta doctrinae,
 3 solertiaeque perspicacis exemplum,
 4 tu nunc ademptus saeculo tenebroso
 5 et semicaecae palpitantium turbae,
 6 claros beatae lucis incolis campos ;
 7 et, sive multum debuit tibi verum,
 8 seu parte in aliqua, more gentis humanae,
 9 et nescientis multa, forte naturae,
 10 te cepit error ; (judicent, quibus sacri
 11 juris potestas, visque tanta noscendi)
 12 certe superni codicis frequens lector,
 13 in verba certe non adactus humana
 14 labi, timentis, nec rebellis in sese,
 15 fers teste caelo conscientiae laudem.
 16 Ibi satur quiete, gaudii plenus,

17 quaesita quondam discis, et vides, quanta
18 involvat homines inscientiae nubes ;
19 quam nil sit illud, quod vocamus hic scire,
20 quo nos superbi tollimus caput caelo,
21 calcamus alios, invicemque calcamur.
22 Hinc tanta bella saeviunt magistrorum,
23 hinc odia plebis ; interim fugit longe,
24 nec se videndam dimicantibus praebet
25 amica sanctae sancta Veritas Pacis.
26 Unde ista rabies, et libido pugnandi
27 insedit animos ? Cur placet Deus, belli
28 materia ? Quo tot studia, tot novae partes ?
29 An hostis atra nocte pestilens Christi
30 insparsit agro semen ? An furor pugnax,
31 mortalitatis ingenique corrupti
32 alimenta quaevis sumit, et Dei causae
33 permiscet hominem ? Curiosus an mundus
34 dum nil latere patitur, et sequi gaudet
35 sciri negata, jure sentit hanc poenam ?
36 Ut illa quondam, dum viam parat caelo,
37 structrix superbae molis, insolens turba,
38 in mille linguas abiit, atque aberranti
39 sermone priscum vocis exuit foedus.
40 Heu quid paramus ? Lectus orbe de toto
41 grex ille parvus lancinamur, heu, foede,
42 iterumque et iterum, scindimurque discordes,
43 ridente Turca, nec dolente Judaeo.
44 Felix remota factionibus vulgi
45 religio simplex, arte non laborata ;
46 quae morte Christi certa dilui culpas
47 hic spem fidemque ponit, et dari credit
48 gratis salutem promerentibus poenam ;
49 structique amoris lene munus exercens
50 non curat altum sapere, nec nimis quaerit,
51 an lege certa veniat omne venturum,
52 exsors malorum quomodo malum nolit
53 velitque Rector : summa quatenus causa
54 potente nutu velle temperet nostrum.
55 Felix et ille, quisquis ambitu liber,
56 nec vana captans lucra, nec leves plausus,
57 caelestiores excitatus ad curas,
58 in astra tendit, et Deum studet nosse,
59 qua se ipse pandit, ambulatque suspensis
60 periculosas gressibus per ambages,
61 non mentientis fila persequens libri ;
62 cui caritate temperata libertas
63 certat manere diffidentibus concors,
64 piaequae purus aequitatis affectus,
65 damnatus aliis, ipse neminem damnat ;
66 modestiaequae limitem premens, donat
67 nunc verba vero, nunc silentium paci.
68 Haec saepe populo teste, saepe privatim,
69 haec ipsa fato jam propinquus, Armini,
70 adhuc monebas, cum laboribus vitae
71 longis fatiscens, saeculique pertaesus
72 fastidiosi, pertinacis, ingrati,

73 indigniore parte fractus, et languens,
 74 meliora sospes, illa millibus multis
 75 monstrata per te regna totus arderes.
 76 Et nunc paterno sidus additum templo
 77 Deum precaris, det gregi suo lucem
 78 hic quanta satis est, hac det esse contentum ;
 79 det non loquentes sua reperta doctores :
 80 det consonantes semper omnium linguas,
 81 aut corda saltem ; praepotente vi flammae
 82 caliginosas litium fuget sordes,
 83 ut spiret unum tota civitas Christi,
 84 vitamque terris approbet, fidem caelo.

IN PASCHA ANNI MDCXII. NATALEM TRICESIMUM.

F3_07 v.1 Christe, tui quondam testis de morte triumphi,
 2 in lucem reduci quae tibi prima fuit,
 3 haec quoque nascentem me tot post saecula vidit,
 4 sancta piis semper, bis mihi sancta dies :
 5 scilicet ut nequeam, geminato munere, donec
 6 sum memor ipse mei, non memor esse tui.
 7 Olim, quindecimum cum sol mihi conderet annum,
 8 ostendit mihi ver Gallia, vere meo.
 9 Contigimus dextram, qua nulla potentior armis,
 10 quae quod regnabat debuit ipsa sibi.
 11 Nunc bis quindecimum luces mihi noctibus aequans
 12 Phryxae Phoebus vellera lustrat ovis ;
 13 natalisque meus me ditibus aspicit arvis,
 14 quae Tamesis puro vitreus amne rigat.
 15 Vidimus hic illum, qui regno maximus, unus
 16 est regum regno celsior ipse suo ;
 17 qui postquam terris datus est, sapientia vera
 18 privatum posthac se decus esse negat.
 19 Hactenus ista. Latet sors indeprenta futuri :
 20 scit, qui sollicitum me vetat esse, Deus.
 21 Duc Genitor me magne : sequar quocumque vocabor,
 22 seu tu laeta mihi, seu mihi dura paras.
 23 Sistis in hac vita ? Maneo, partesque tuebor
 24 quas dederis. Revocas, optime ? Promptus eo.
 25 Post reges visos da regum cernere regem,
 26 Natalemque mihi, sed sine nocte, diem.

APOLOGUS.

F3_08 v.1 Cum vis aperta non opimaret satis
 2 in oves avito Marte grassantes lupos,
 3 tum forte senior unus illorum gregis,
 4 cui dens edendo fractus, et niveum caput,
 5 dixisse fertur nobilem sententiam :
 6 "Parum profecto sapimus, o fratres lupi,
 7 votoque nostro nostra simplicitas obest.
 8 Quod non dedere bella, pax nobis dabit,

9 sed ficta, sed mentita : non semper leo
10 sequendus, et professus irarum furor,
11 sed est quod et docere nos vulpes queat.
12 Non haec in odia nos leves causae ferunt,
13 patresque nostros. Scilicet stultum pecus,
14 iners, inerme, villus et caulae tegent ;
15 nos, Martialis turba, bellipotens genus,
16 semper trememus frigidum noctis Jovem,
17 nudi per alta tesqua palantes loca.
18 Tum pascet illos gramen et centum novis
19 nominibus herbae, dira nos anget fames ;
20 cum sit, vel ipso jure quod cunctis semel
21 natura dixit, praeda majoris minor.
22 Sed quid juvabit arma nos justissimis
23 cepisse causis, si tegunt custodiae
24 hostem, nec ullus patuit ad pugnam locus ?
25 Fraude est agendum. Fraude Trojani jacent,
26 et plus peregit una nox annis decem.
27 Haec ille fatus contionem flexerat.
28 Quamquam fuere qui negarent haec satis
29 pro decore gentis esse, majores suos
30 virtute decertasse, non cautis dolis.
31 Ergo ad bidentes mittitur legatio.
32 Quam cum videret suspicax ovium cohors,
33 trepidare primo : ferre quin retro pedem.
34 Sed conspicatae protinus caduceum,
35 audire statuunt, quid lupi portent novi.
36 Hi sic profantur : "Si tot armorum mala,
37 inopia, clades, sanguis, ante oculos forent,
38 cum saepe praeceps ira quam ratio magis
39 decreta dictat, viverent pacatius
40 homines feraeque, nec necesse nunc foret,
41 ut nos, feroces ante, pacem et foedera
42 peteremus ultro. Sapere sed primum fuit :
43 primo negato paenitere est proximum.
44 Permagna dedimus damna (quis verum neget ?)
45 Tulimusque non minora. Sed fideliter
46 expectorate pristinas injurias,
47 salubre victis, inclutum victoribus.
48 Sic quae fuere bella, sic tandem omnia
49 habuere finem. Lege non alia datur
50 pax alma, magni maximum munus poli ;
51 per quam virescunt arva, crescunt moenia,
52 enavigantur maria, pinguescunt greges.
53 Si par tenet vos cura, si sunt otia
54 tranquilla cordi, coeat ut paci fides,
55 securitasque robur accipiat suum,
56 illos prius fugate, qui pacem fugant,
57 saevi tubicines Martis oricrepos canes.
58 His esse vobis foederatos dum placet,
59 qui nos quiete publicam ingressos viam
60 non persciendis allatrant conviciis,
61 serentur odia semper ex odiis nova.
62 Haec prima belli causa, nunc pacis mora est."
63 Post haec recedunt, pariter ut deliberent
64 oves, quid e republica summa foret.

65 "Sedere" : dicunt arietes sententiam.
 66 Nec mater agni vetula, nec vervex silet.
 67 Vox una cunctis. Maximum pacis bonum,
 68 suspecta merito bella, nec mirum, canes
 69 hoc nolle, rabies quos et infelicitas
 70 aliena pascit, esurituros cito
 71 si sedeat ovibus et lupis concordia.
 72 Sed hoc nec aequum, nec Diis gratum, in metu
 73 vitam perenni trahere sollicitas oves,
 74 et centies perire ne pereant canes.
 75 Fit pax. Latrantum pervetusto foederi
 76 renuntiatur, addito, capital fore,
 77 ovile propter si videretur canis.
 78 Sed infideles sanguinariii lupi
 79 simul remotos esse custodes vident,
 80 mos <est> quibus nox pervigil, sagax odor, (vers lacuneux)
 81 et clamor index, per tenebras irruunt
 82 non ante visi stabula. Tum capiunt oves,
 83 captas trucidant, quamlibet fas et fidem
 84 frustra vocantes. Una dum crudeliter
 85 laceratur artus : "O canes, inquit, canes,
 86 o fida turba, melius hoc quanto fuit
 87 vos alere, partiri que vobiscum metus,
 88 quam hic sub umbra credulae pacis trahi !"

IN LEXICUM VETUS GERMANICUM ABRAHAMI MYLII.

F3_09 v.1 O Patria salve lingua, quam suam fecit
 2 nec humilis umquam, nec superba Libertas,
 3 quam non subactis civibus dedit victor,
 4 nec adulteravit inquilina contages,
 5 sed casta, sed pudica, sed tui juris,
 6 Germana priscae fortitudinis proles ;
 7 lingua imperare nata, quae citos mentis
 8 sensus adaequas non minus brevi voce,
 9 cujus retenta parte, tot triumphatae
 10 adhuc fatentur arma Teutonum gentes,
 11 Franci potentis praeda ditior Gallus,
 12 et Longobardo victus Insuper mollis,
 13 Gothique regnum nundinator Hispanus,
 14 legesque passus Anglosaxonum Britto.
 15 Quid semibelgas, semibarbaros Tauros,
 16 Persasque referam nostra verba conantes ?
 17 Nec nos parentum gloria minor sanguis,
 18 invicta turba Martis atque Neptuni,
 19 quibus magistris civis ater Aurorae
 20 canat Batavum voce tinnula carmen,
 21 dum suave olentes carpit impiger messes.
 22 Nunc eruditum sume Mylii donum,
 23 arcana lustrans qui tuae vetustatis
 24 post multa reddit saecula desitos cultus,
 25 quales habebas, antequam rudes Belgae
 26 duro Camenas miscuere Mavorti.
 27 Trucem parentum verba praeferunt vitam,

28 et bellicosum masculae sonant voces.
 29 His allocutus gentis inclutae Patres,
 30 obductus ora crinibus, tuens torvum,
 31 pulsura dominos sumpsit arma Civilis.

IN FEUDA BRONCHORSTII.

F3_10 v.1 Narratam lacrimis madere ripam,
 2 deplorant, quibus axe devolutum
 3 aurigam temerarium Sorores,
 4 olim Brennus atrox subegit armis,
 5 ausus limitibus novis Comatos
 6 Alpes ulterius locare Gallos.
 7 Sensit mox Latias Padus secures
 8 mundi portio parva servientis.
 9 Postquam Romuleas fovere vires
 10 pertaesum Superos, et in minutas
 11 partes dissiliit superba moles,
 12 hic regnum posuit simulque nomen
 13 hirsuto ferus ore Langobardus,
 14 duri Martia Teutonis propago.
 15 Accepti domino jubente ritus,
 16 et Germanica jura pro Latinis.
 17 Ergo in proelia militum ducumque
 18 conjurata manus. Domus et agri,
 19 acti non leve praemium laboris
 20 venturi pariter fuere pignus.
 21 Hoc Bronchorstius, explicata paucis :
 22 Virtutis rigidae magistra jura,
 23 ut nostram docuit diu juventam
 24 in sancta Batavae domo Minervae,
 25 sic nunc dat populis videnda cunctis,
 26 famae iudicium nec erubescit.
 27 Qui priscum legis anxius Solonem,
 28 et scriptas hominum cruore leges,
 29 et quae mascula scita praestiterunt
 30 securos sine moenibus Laconas,
 31 et bis quinque viris reperta quondam,
 32 sed bis sex tabulis notata verba.
 33 Haec si discere non perinde curas,
 34 mirator nimius prioris aevi,
 35 extorri vagus eruditione,
 36 quaeris dulcia, profutura nescis.

PASCHA ANNI MDCXIV, QUI NATALIS MIHI XXXI.

F3_11 v.1 Aeterno soboles coeava Patri,
 2 humani generis piamen unum,
 3 quem certamine redditum cruento
 4 victorem necis horridae salutat
 5 festo carmine Christiana plebes,
 6 ver pulchrum quoties refulget orbi,
 7 et noctis spatium diebus aequat

8 nulla parte sui minuta Phoebe,
9 te, supplex, veneror, reusque voti,
10 post bis Paschata quindecim peracta
11 unum cum super additum recepi,
12 has pro rure preces ad astra mitto.
13 Da fractum veteres dolore culpas.
14 Da vitare novas sagace cura.
15 Da de tramite lubrica juventae
16 egressum pede firmiore niti ;
17 da mentem solidam, virile pectus ;
18 sit pax conjugio ; meam parentes
19 laudent, me pietas juvet meorum
20 res detur nec inops, nec invidenda,
21 olim qua placide fruatur in spes
22 non magnas nimis educata proles.
23 Unum te dominum professa constet
24 libertas patriae. Necesse fuso,
25 nec sit sanguine jus suum tueri.
26 Da nobis sacra pura, da magistros
27 veri sollicitos, simulque pacis,
28 concordem populum, pium senatum.
29 Quod si nostra manus tibi ministra
30 ulla in parte placet, nihil recuso :
31 sed dum te valeam juvante clavum
32 rectum per medios tenere fluctus ;
33 dum non ambitio levesque plausus,
34 non fulvi sitis inquires metalli,
35 sed me pro patria salute cogat
36 forti cura jugum subire collo :
37 solves emeritum, redemptor orbis,
38 cum visum tibi : tunc Pharo relictam,
39 agni sanguine tinctus innocentis
40 ibo vivere, gente cum piorum,
41 sincera Azyma, Pascha sempiternum.